NICOLAI VERNULAEI ... VIRTUTUM AUGUSTISSIMAE GENTIS AUSTRIACAE. LIBRI TRES. SOLIS...

Nicolaus Vernulaeus


7
E
32


7
2 11
41

NICOLAI VERNVLÆI

Cæſarei Regijſque Hiſtoriographi, & publici Eloquentiæ Profeſſoris Lovanij.

VIRTVTVM

AVGVSTISSIMÆ GENTIS AVSTRIACÆ.

LIBRI TRES.

Solis Cæſarum, Regum, Principumque Auſtriacorum exemplis adornati.

S. Ma. de Scala

Vnà cum Monitis Ethicis Politiciſque.



LOVANII,

Typis IACOBI ZEGERI. Anno M. D. C. XL.

Cum privilegio Regio.

AVGVSTISSIMÆ GENTI

AVSTRIACÆ

FERDINANDO III.

ROMANORVM IMPERATORI.

PHILIPPO IV.



HISPANIARVM INDIARVMQ; REGI,

FERDINANDO

Infanti Hispaniarum, Burg & Belgij

GVBERNATORI.

LEOPOLDO

ARCHIDVCI AVSTRIÆ,

Supremo Cæsareæ militiæ

PRÆFECTO.

BALTHASARI CAROLO

Principi Hispan. Philippi IV. Filio.

FERDINANDO FRANCISCO

FERDINANDI III. CÆS.

PRIMOGENITO.


Vguſtiſsimæ Gentis Auſtriacæ Potentia non ſanè ſine invidia eſt, ſed Virtutes ſupra invidiã ſunt.

IMPERATOR,
REX, ARCHIDVCES.

Invident vobis nonnulli Reges, Principes, Populi, tam latè patens Imperium, & concutere illud, ſi non convellere, fœderatis armis conantur: at ijdem Virtutum Gentis Veſtræ Majeſtatem admirari coguntur. Adverſus has nec hiſcere livor poteſt. Terminatur potentia certis terrarum finibus, etſi ultimis; Virtutes terminum neſciunt. Adeò plus hæ admirationis excitant, quàm illa invidiæ. Idem cœleſte Numen, quod tantam potentiam publico orbis bono conceſſit,

ceſſit, Virtutes ad gloriam indulſit, ut eſſent potentiæ fulcra. Et verò fulcient illæ Imperium veſtrum, quamdiu in Vobis eluceſcent. Hoc eſt æternum. Imò & Potentia veſtra, & Virtutes hodie ſunt Eccleſiæ Catholicæ fulcimenta. Nec Hæretici id ignorant, nec qui invident, ſed dum timent non ferunt. Ego verò iſtas Gentis veſtræ Virtutes, apud alios latius diffuſas, hoc brevi volumine, tanquam in parva tabula Orbi exhibeo, ut credant mortales non minus Gentem Auſtriacam Virtutibus inclytam eſſe, quàm potentiâ invictam. Vt, inquam, intelligant magnum Imperium Veſtrum ſine magnis Virtutibus non eſſe. Non attigi omnes, ſed ex pollice Gygantem,

ex un-

ex ungue Leonem quis non cognoſcat? Auguſti Gentis veſtræ Heroes, non niſi Virtutum magnitudine æſtimantur. Sed nec vivorum, aut parcè, mentionem feci. Id conſultò, ne adulari viderer; etſi nihil adulationi relictum ſit, ubi dici nunquam ſatis poteſt. Vos igitur Majorum Veſtrorum Virtutes, & quæ domi ad omnem gloriam exempla habetis, benigno oculo aſpicite. Veſtris auſpicijs in lucem eunt, quia illas in Vobis exprimitis; nec noſtra, nec ventura ætas tacebit. Faveat divinum Numen, ut cum potentia creſcat Virtutum veſtrarum claritas. Ita voveo

Majeſtatum Celſitudinumque veſtrarum
Servus & Subditus

NICOLAVS VERNVLÆVS.

INDEX

Capitum hujus operis

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

PRIVILEGIVM.

EX Privilegio mihi à Catholico Rege, Principe noſtro conceſſo, facio poteſtatem IACOBO ZEGERO Academiæ Lovanienſis Typographo, typis ſuis excudendi & divulgandi VIRTVTVM AVGVSTISSIMÆ GENTIS AVSTRIACÆ Libros tres à me ſcriptos, alijs eorundem editionem intra ſexennium inhibens.

NICOLAVS VERNVLÆVS.

CENSVRA.

AVſtriacæ Gentis præclaras virtutes conſuetâ ſibi ſtyli Majeſtate ac ſententiarum gravitate VERNVLÆVS hocce opuſculo perſtringit, exempliſque elucidat: nec quidquam ſanæ fidei aut bonis moribus adverſum miſcet; quamobrem prælo ac luce publicâ digniſſimum opus cenſeo. Hac 30. Aug. 1640.

IACOBVS PONTANVS S. *Theol. Doctor, Pontificius ac Regius Librorum Cenſor.*

NICOLAI VERNVLÆI VIRTVTVM AVGVSTISSIMÆ GENTIS AVSTRIACÆ.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De zelo fidei & Religionis Catholicæ.

1. Maximilianvs I. Imp.
2. Carolvs V. Imp.
3. Fredericvs III. Imp.
4. Ferdinandvs I. Imp.
5. Ferdinandvs II. Imp.
6. Philippvs II. Hisp. Rex.
7. Albertvs IV. Archidux.
8. Albert. Pivs Belg. Princ.

NIHIL unquam majori curæ Augustissimis Austriacæ Gentis Principibus fuit, quam Religionem à majoribus acceptam, integram illibatamque conservare, propagare, tueri. Hic illorum zelus, hoc studium, hæc armorum causa. Exempla vidit orbis Regibus imitanda. Nec aliud ipsis tantam Imperij magnitudinem, quàm Religionis

Catholicæ cultus comparavit. Pro ea se, diademata sua, & opes ingentes cœlesti Numini devoverunt. Audijt illud, & annuit, noscat orbis, Principes imitentur, ament omnes & extollant.

I. MAXIMILIANVS I. IMPERATOR, in cujus nomine virtus & felicitas, cùm ultimus illi dies illuxisset, non contentus testamenti tabulis inscripsisse, ultrò quâ potuit extremâ voce adstantibus sibi Principibus, *Renuntiate*, inquit, *Carolo & Ferdinando Nepotibus meis, ut majorum insistentes vestigijs Catholicam Religionem à Germanis hactenus cultam, adversus novorum dogmatum Auctores Sectatoresque cum vitæ etiam periculo defendant.* Abhorrebat quippe ab ijs, qui præclarè à Majoribus instituta solo novarũ rerum studio facilè commutãt. Vnde non rarò exorientis tum primum in Germania Martini Lutheri insanum turbulentumque ingenium detestabatur, addebatque, quod si sibi diuturniorem Deus vitam largiretur, non frustra malè sanus iste homo Germaniam vesaniâ suâ perturbandam desumeret.

Pontus Heuterus lib. 8.

Monitum. *Certè nulla religionis sine publici status perturbatione mutatio est.*

II. CAROLVS V. IMP. Si quis unquam, Maximus

ximus, avi sui Maximiliani zelum non æquavit, sed superavit. Anno Imperij sui primo cum in VVormatiensibus Comitijs excogitata nuper à se dogmata Martinus Lutherus astruere frustrà contendisset, essetque illi plus satis ab excellentibus ingenio doctrinaque viris responsum, nec tamen à sententia discederet, dimissum illum proscripsit, libros ab eo conscriptos flammis adjudicavit, eorum usum lectionemque omnibus interdixit. Zenocarus lib. 1. P. Heuter. lib. 8.

Facilè est Hæreticorum falsam persuasionem convellere, obstinatum in ijs animum frangere vix mors aut exilium potest. Monitum.

Idem quinquennio post ad Comitia Spiræ Nemetum à se VII. Calen. Quintiles indicta litteras misit, quibus Cæsareâ authoritate jubebat, ne Principes aut Civitates vel unum in Religione apicem mutarent, eam verò in omnibus ex VVormatiani Conventus decreto observarent. Profecturum se paulò post in Italiam, cumque sacrorum Principe de futuri Concilij loco temporeque acturum. Nec id tantum tunc egit. In omnibus postea Imperij Comitijs, ut omnes Tridentini Concilij decretis parerent, adlaboravit. Pont. Heuter. lib. 9.

Princeps verè Catholicus non nisi Catholicis imperare potest. Monitum.

Potuit idem Cæſar tot Regnis & Imperio ſe abdicare, zelum religionis deponere nunquam potuit. Idcircò cum Bruxellæ ſuperioris ſæculi anno quinquageſimo quinto Belgicas Provincias in Filium Philippum transferret, earũ Ordinibus Catholicã Religionem magno ardore commendavit. *In ea ſitam eſſe Patriæ tranquillitatem, quâ convulsâ nutarent, excisâ caderent. Nihil gravius cœleſte Numen vindicare, quàm violatæ Religionis contumeliam, & neglecti cultûs ſui ignominiam. Conjunctas Belgij Provincias Principibus externis terrori eſſe, eaſdem, ſi mutata Religione dividantur, cuilibet in prædam facilè ceſſuras. Concordiam proinde ſervarent, & ne vicinarũ regionũ erroribus inficerentur, ſedulò caverent.* Nec temperabat ſibi à lachrymis Cæſar. Tunc converſo ad Filium Philippum ſermone. *Vides*, inquit, *lachrymas amoris mei teſtes, Belgium tibi trado, ſed tuorum Avorum Religionem inprimis commendo.* Innitebatur tunc humeris Guilielmi Naſſovij Arauſionum Principis, qui à Religione & Rege Philippo poſtea defecit.

Idem lib. 14.

Monitum.

Principibus non minus Religionis ſervatæ, quàm Imperij adminiſtrati reddenda cæleſti Numini ratio eſt.

Cùm ex Zelandia in Hiſpaniam ſolveret, Filium Philippum ultimò complexus profuſis lachrymis adhortatus eſt, ut Romanam Ec-

clesiam, quantis posset viribus, semper tuere- *Idem.*
tur. *Et si amplissimam*, inquiebat, *Monarchiam tanto Majorum tuorum labore partam retinere velis, tuis in Regnis alienos à Religione Catholica nequaquam patiaris.* Oderunt Hæretici Monarchas,& cùm occasio arridet,subvertere libertatis prętextu conãtur.

Fuerunt & postremæ ejus ad Imperij Senatores, qui Spiræ tum erant, litteræ, quibus ut avitam religionem justitiamq; conservarent, non adhortatus tantum est,sed etiam ipse Cæsar rogavit.

Nimirum qui vixerat de Religione semper sollicitus, mori abjectâ ejus curâ non voluit. *Monitum.*

FREDERICVS III. IMP. Eâ constantiâ Religionem Catholicam colebat tuebaturque, ut illius causa vivere vulgò diceretur. Anno quarti supra decimum sæculi quinquagesimo secundo cùm Romam venisset, prima illi cura fuit ad Pontificis pedes sese abijcere; tum Divorum delubra lipsanaque invisere. Demum XVI. Calend. Aprilis Pontifex in Divi Petri Æde sacris operatus Fredericum Cæsarem & Eleonoram Christiano ritu conjugij vinculo copulavit. Tertio post die eundem Romanorum Imperatorem solemni ritu inunxit,& Imperij insignia adjecit. Ambos Roma III. *Gerardus de Roo.*

inter faustas acclamationes *Augustos* salutavit; nec alia gestientis tunc populi vox fuit, quam, *Frederico Pacifico, à Deo coronato Imperatori Vita & Victoria.*

Idem cùm post sex annos ineunte Novembri in Italiam iter suscepisset, Romam pridie Christi Natalis appulit. Nocte sequente, quæ Christianis est sacra, cùm Pontifex ad aras sacrificaret, Evangelium de Augusti Cæsaris edicto publicè decantavit. Imitatus nimirum Sigismundum Imperat. fuit, quem idem fecisse Historici commemorant. Sexdecim exegit in urbe dies, deq; expeditione in Turcas suscipienda, ac de Hungariæ Bohemiæque Regnis consilia cum summo Antistite communicavit.

Idem Gerar. de Roo.

Monitum. *Imperare nonnisi feliciter potest, qui supremam in Ecclesia auctoritatem reveretur. Servire sacris Imperia debent, & potentiæ, quæ in terris divinæ proxima est, constanter famulari.*

IV. FERDINANDVS I. IMP. Vt erat veteris religionis studiosissimus, ita extitit ejusdē conservator acerrimus. Angebatur animo vehementer, cum eam dissentientibus hominum opinionibus adduci in controversiam videret, de qua ipse nequaquam dubitaret. Id quorun-

quorundam ambitioni tribuebat, qui ut nominis existimationem sibi compararent, Religionis novitate imperitorum animis imponebant. Interim religiosissimus Cæsar, in omnibus Principum congressibus, ut antiquissima religio à Majoribus culta novis opinionibus anteponeretur, urgebat. Imo non recusabat quibusdam moderati ingenij judicibus, si judices pati Sectarij possent, id omne negotium committere. *Cuspiniani*

Qui amat in Republica concordiam, pati in religione discordiam non debet. **Monitum.**

FERDINANDVS II. IMP. Hic est ille Divis similior Princeps, quam hominibus. Talem Orbi vitæ sanctitas, & ardentissimus Religionis zelus ostenderunt. Quis dubitet? *Paratum se pro quovis Romanæ Ecclesiæ dogmate cruciatus, adeoque mortem ipsam oppetere profitebatur. Exui Imperio Regnisque omnibus, quam ullam amplificandæ religionis occasionem negligere malebat. Exilium cum Augusta conjuge liberisq; pati, stipem ostiatim colligere, solo vesci pane, ac in partes etiam distrahi, quàm injuriam Cælesti Numini Ecclesiæq; illatam non ulcisci aut perferre, potiùs desiderabat.* Nec unò ad hæc se voto obstrinxerat. Laureti in agro Piceno vix annos viginti natus coram Deiparæ V. *Guil'el. Lamormainus lib. de virtut. Ferd. II.*

Virginis

Virginis simulachro, ex hæreditarijs provincijs suis ejecturum se Sectarios promisit. Vbi Hungariæ, Bohemiæ, & Imperij diadema obtinuit, idem Cellis coram ejusdem Virginis effigie facturum se in Bohemia constanter vovit. Nec vovit tantum, sed & præstitit. Adeo quidquid ibi ac vicinis in provincijs prisci Catholicique moris est, totum illi debetur. Cùm VValstenius Fritlandriæ Dux cum Sectarijs in Silesia de pace non bona fide, ut rumor increbuerat, ageret, procumbens in genua Cæsar. *Si ea pax pernitiosa*, inquit, *Ecclesiæ futura est, tu Deus, tu Dei Mater, illam impedite.* Nullum illi vehementius gaudium erat, quam cùm ad Ecclesiam abjurata hæresi quispiam rediret. Vnde cùm Rudolphus Tiffenbachius ab Ecclesia Catholica seductus nomen illi rursum dedisset, gratulaturus illi per litteras Cæsar. *Exoscularer*, inquit, *tui capitis verticem, si tibi præsens essem.* Conditis antea testamenti tabulis, paulò ante mortem codicillos adjecit. In ijs hæc suprema ejus voluntas, ut hæres Ferdinandus filius, hodie Imperator, Apostolicam Romanamque religionem perpetuò conservaret. Faceret Deus Ferdinan-

dos

dos ejuſmodi multos orbis haberet.

Vicarij Dei ſunt, qui divinum ejus cultum promo-vent. Hoc ſi faciant Chriſtiani Principes Rempublicam tranquillam habebimus, Hæreſim nullam. Monitum.

PHILIPPVS II. Hiſpaniarum & Indiarum Rex, in cujus pectore Religio ſibi ſedem elegerat, ſuſcepto Belgarum Imperio ſtans coram Cæſare parente, ſolemnibus verbis cultum divinum ſuis omnibus in Regnis Provinciijſq; conſervaturum ſe juravit. Ea regiæ inaugurationis formula eſt, ſed rationem adjecit, quod certiſſimus eſſet, cœleſte auxilium nunquam ſibi hoc in conatu defuturum. Opes ſibi magnas eſſe, ſed libenter pro Catholica Religione conſervanda impenſurum. Fecit id, & faciunt etiam hodie ejus Poſteri. Quod verò promiſerat, ejus animo nunquam excidit. Vnde diſceſſurus in Hiſpaniam Belgij Ordines, ut Catholicam Religionem conſtantiſſimè colerent, graviter admonuit. Soluturus ex Zelandia idem repetijt, ut memores Edictorum parentis ſui locum novis opinionibus nunquam darent. Dignus glorioſo Catholici Regis nomine, qui Eccleſiam omnibus potentiæ ſuæ viribus ſemper defendit, ejus Imperium amplificavit, Hæreticorum impetus VI. Pont. Heuteur. lib. 14 Idem lib. 15

petus retudit, auxilia, quæ potuit, Pontificibus nunquam non subministravit. Hanc ob causam vulgò *Ecclesiæ Columna*, *Bonorum Parens*, *Christiani nominis Protector* appellabatur.

Extinctam sub Henrico Octavo in Anglia Religionem ductâ ejusdem Filiâ Mariâ ad pristinum splendorem revocavit. Exortâ in Belgio hæresi novos Antistites, permittente Pontifice Maximo, qui Religionem collabentem doctrinâ exemploque fulcirent, constituit. An Sol unquam clariorem Indis lucem, quàm ipse fidei Christianæ jubar, invexit? Nec diffiteri beneficium Gallia Germaniaque possunt; in illa Religionis Catholicæ nitorem, conservavit, hæc ne Turcarum jugum oppressâ majorum fide indueret, effecit. Tantum in Philippo zelum Pius V. Pontifex exprimere digno Elogio non potuit, nisi eum, *publicæ pacis & Ecclesiæ fulcrum*, appellaret. Amplius verò Gregorius XIII. dixit, esse idcircò Philippi Regis incolumitatem Reipublicæ Christianæ necessariam, quod alius, post hunc, Philippus reperiri non posset. Mirabitur hanc unam ejus vocem posteritas. *Si eveniret unquam*, inquiebat, *ut Filius meus Hæresim amplexus ab Ecclesia Romana deficeret, ligna quibus ille concremaretur,*

Historia belli Belgici

Petrus Mathæus in Henrico 4.

ultrò

ultrò ipse subministrarem.

Cùm proximū vitæ suæ occasum animadverteret, accersito Filio suo Philippo Tertio, nihil majori affectu præcepit, quàm ut omni consilio & armorum vi Catholicam ubique Religionem propugnaret conservaretque. *Vnum enim est, & cujus sola contemplatione oblector,* (addebat ipse) *quod in Catholica fide, Majorum Religione, Romana Ecclesia, & ejus supremi capitis obedientia moriar ac conquiescam.* *Cervera lib. de obitu Philipp. II.*

Sic vivere, sic mori velint quicunque Monarchæ. *Monitum.*

ALBERTVS IV. Archidux Austriæ, nisi fallor, suo in pectore integrum Christianæ Religionis amorem complectebatur. Sed erumpebat quandoq; & in sacris Divorum Ædibus, cum Sacerdotum choro publicè psallebat. Hoc uno modo suum affectum testabatur, nec ullum aliud Regium magis exercitium, quàm vocem suam divinis laudibus decantandis famulari, credebat. Non deerant impij homines, qui hoc illi vitio verterent, & Monachum, non Principem appellarent. VII. *Ger. de Roo.*

Impietati nihil pulchrum est, nisi quod impium est. *Monitum.*

ALBERTVS PIVS Archidux, Belgarum Princeps, nominis sui famam singulari Religione toto orbe diffudit. Hic nihil assuetus VIII.

generi aut nobilitati dare, sed soli virtuti, optimá ratione se Catholicæ Religioni consulturum existimabat, si sacris munijs eos præficeret, quos vitæ integritas & doctrina commendarent. Ideò in Ecclesiasticorum delectu severissimus erat, sed & fortunatissimus. Scrutabatur singula, ante actam vitam, & præsentes mores. Nec unquam in delectu suo frustratus est. Felicitatis hoc esse potuit; sed quam prudentia gignebat, pietas merebatur.

Scribanus in Politico Christiano.

Monitum. *Benè regunt, qui doctriná, melius qui vitá; ad hanc subditi convertuntur. Ac verissimus sanè conservandæ Religionis est modus, si boni sint; qui præsunt.*

CAPVT II.

De pietate & fiducia in Deum.

1. RVDOLPHVS I. Imp.	5. FERDINANDVS II. Imp.
2. MAXIMILIANVS I. Imp.	6. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.
3. CAROLVS V. Imp.	7. ALBERTVS Pius Prin. Bel.
4. FERDINANDVS I. Imp.	8. ALBERTVS IV. Archidux.

NOn alia tanti zeli origo, quàm ipsam in Deum pietas. Quippe tam pij sunt Principes Austriaci, quam ferventes & zelosi. Et quia suum à supremo Numine Imperium esse certò sciunt; illi se libenter submit-

ſubmittunt, & ſubmiſſè adorant. Nemo dixerit pietatem, privatorum: aut hominum divino cultui voto obſtrictorum, virtutem eſſe propriam: in Regibus & Principibus præcipuum eſt ornamentum, ſummamque gloriam habet. Conſideremus igitur eorum pietatem, ut gloriam agnoſcamus.

RVDOLPHVS I. IMP. Vt Gentis Auſtriacæ Conditor, ita Poſteris ſuis exemplo ad pietatem præivit. Certas quotidie precibus ad Deum fundendis horas dabat; nec hanc conſuetudinem negotia, etſi ardua, interrumpebat. Imperaturum ſe feliciter credebat, ſi benè ſibi cum Deo eſſet, & ejus benevolentiam conciliaret. Ex hac pietate certa illi in Deum fiducia fuit. Vnde cum Imperij diadema Aquiſgrani ſuſciperet, nec fortè tunc ad manum Sceptrum eſſet, crucem ex Aris arripiens dignam ſe vocem edidit. *Hoc ſignum eſt, quo genus humanum, & nos redempti ſumus; hoc ego ſceptro in omnes mihi & Imperio infidos utar.* Pietatis iſta vox fuit. Quis neget preces ejus plus, quam arma potuiſſe? Cum in prælio adverſus Ottocarum Bohemiæ Regem ſuos in diſcrimen adductos videret, media in acie genibus incumbens divini Numinis opem ardentiſſimis precibus efflagitavit. Nec illum pietas fefellit; animum mili- *G. de Ro... lib. 1.*

tes receperunt, ipse vicit.

Monitum. *Vinci non potest, qui Deum in partes suas evocat in eoque confidit.*

MAXIMILIANVS I. IMP. Cùm in Blangiaca apud Belgas pugna milites suos disertâ oratione ad pugnā inflammasset, monuissetq; meminissent, homines quidem in prælio concurrere, sed victoriam à Deo exspectandam, atque illum justæ causæ semper adesse, mandavit, ut in genua ter singuli procumberent, totiesque fusis precibus victoriam à Deo postularent. Fecit id ipse primus, & votum adjecit; secutus Imperatorem est miles, totusque in terram exercitus procubuit. Germani Anglique in prima acie constituti veteri Gentium more terram etjam tertiò suis osculis delibarunt. Inde post aliquod primò discrimen secuta de Francis victoria fuit. Pietatis ista sanè victoria.

P. Heuter. Lib. 1.

Monitum. *Ità est victoria è cœlo pietas extorquet, quàm quia domi forisque Maximilianus nunquam deseruit, felix ubique fuit.*

III. CAROLVS V. IMP. verè Pius quotidie manè priusquam vestiretur, talari dumtaxat togâ corpori obductâ; & genibus terram premens divinæ Majestati preces horæ unius circiter spatio,

ſpatio fundebat. Nonnunquam ita animus in illo ardebat, ut exclamaret, *In manus tuas, Domine; tradidi Eccleſiam tuam.* Pro hujus enim tranquillitate concordiaque, quam maximè optabat, Deum ſemper deprecabatur. Deinde Cubicularijs admiſſis Canonicas preces, Sacerdotum more, recitabat, ac poſtea Reipublicæ negotijs vacabat. Tum imminente meridie, ut Sacrificio intereſſet, procedebat; eo abſoluto ad menſam. *Surius in Hiſtor. ſua*

Audiat poſteritas, ſemel toto vitæ curriculo rem divinam dumtaxat bello Africano omiſit, cum ea propter detonantem tempeſtatem fieri omninò in prætoria navi non poſſet.

Capto ad Ticinum Franciſco I. Galliæ Rege, cum omnium oculi in Carolum intenti eſſent, ut quo vultu tantæ victoriæ nuntium exciperet, animadverterent, nullâ lætitiæ ſignificatione, prohibitis etiam publici gaudij ſignis, confeſtim ad templum totâ aulâ ſequente perrexit, Deoque gratias perſolvit. Altero die ſacram Synaxim ſumpſit, & ſolemnes dierum ſeptem ſupplicationes indixit. Deo quippe victoriam iſtam acceptam ferebat, & ut omnium ore celebraretur, volebat. Idem cum Saxonum aliorumque ingentes copias *Pont. Heuter. aliiq.*

pias

pias exiguâ manu fudisset, de pugnæ eventu ad Summum sacrorum Principem ita scripsit. *Veni, vidi, Christus vicit.* Ita non sibi, sed Deo, victoriæ gloriam adscribebat.

Ex Zelandia in Hispaniam vela faciens, ubi Laredium in Biscaia portum attigit, terram inclinatis genibus osculatus est, actisq; pro felici itinere Cœlesti Numini gratijs, eidem corpus suum, tanquam alteri Matri, commendavit. Tum auream pendentis in cruce Christi effigiem proferens, *Te Duce, inquit, O Christe, toties cum hoste feliciter conflixi, tot victorias triumphosque reportavi, nomen mihi famamque comparavi; quicquid inde decoris, quicquid gloriæ, tibi, qui tribuisti, acceptum refero. Et quoniam corpori meo hanc terram post fata sedem elegi, tu animæ felicem exitum concede, ac totam tibi auctor ipse vendica*, Hæc Caroli Pietas fuit.

IV. FERDINANDVS. I. Caroli Frater & post illum Imperator, cum penè assiduas Divinæ Majestati preces funderet, tum quotidie ferventissimis votis eidem Ecclesię & Imperij incolumitatem salutemque commendabat. Adeò etiam cum in extremo morbo instare sibi mortem videret, anxio solicitoque animo id agebat, num distractis in Germania Ecclesijs adferre concordiam posset.

Ex Panegyrico eius Cuspiniano

Pijssimus

Pyiſſimus Cæſar cum corpore ſolveretur, magis de Eccleſiarum ſtatu paceque, quam de ſuo periculo angebatur. *Monitum.*

FERDINANDO. II. Cæſari de tot hoſtibus triumphum & Imperium pietas dedit. Vincebat quippe in tot Ducibus pugnantibus Deus, ſed Ferdinandus Dei favorem ſuis precibus conciliabat. Modus & ordo tantæ pietatis hic fuit. Experrectus è ſomno diem à Sanctiſſimæ Trinitatis adoratione auſpicabatur, hancque præcatiunculæ formulam ſubjungebat. *Per Signum Crucis de Inimicis noſtris libera nos Deus noſter.* Iſti alias addebat nunc brachia expandendo, nunc terram oſculo tangendo. Duobus deinde Sacerdotibus ad aras ordine operantibus ſummâ pietate aderat, ac fine rei divinæ impoſito Lauretanæ Virginis laudes, (quas Litanias vocant) aut præeunte Sacerdote, aut Muſicum inter concentum recitabat. Interdiu Regnorum & Imperij negotijs curas impendebat, nunquam tamen pietatis oblitus. Nam ſubinde hominum oculis ſeſe ſubducebat, ut cum Deo ageret, etiam inter venandum plerumque. Enimvero idem illi diei auſpicium & finis. Nunquam enim ad quietem aliter ſe adultâ nocte componebat,

Scribanius in Politi o Chriſtiano.

Guilielmus Lamormaïnus.

C quam

quàm diſcuſsâ prius conſcientiâ totum ſe penitus introſpexiſſet, ſingulaque propemodum elapſi diei momenta percurriſſet. Sic mori ſemper paratus erat, & in lectum, tanquam ſepulchrum, deſcendebat. Nullum illi in divinis officijs aut ſupplicationibus publicis longum tempus; intererat libenter, & eo vultu, ut ad pietatem populum excitaret. Volebat quidam inter ſacra ſermonem cum eo miſcere, *Sile*, inquit, *ne ſcandalo ſimus.* Cum publicè inſigni aliquo facinore pietatem teſtaretur, omnium vox erat, *Hodie Ferdinandus hoſtium aliquot millia profligavit.*

Ceterum quanta ejus pietas, tanta in Deum fiducia. Efflagitabat cœleſte auxilium, & impetrabat. Vnde cum quorundam litteris, Regem Angliæ bellum in eum meditari, admoneretur, *meditetur* inquit, *Deus in cœlo eſt.* Alias de multorum Regum & Principum percuſſo adverſus ſe fœdere certior factus, *ut ſal aquâ*, inquit, *ita iſtorum conſpiratio divino patrocinio diſſolvetur.* Poſteaquam ad ejus aures Fritlandiæ Ducis facinus perlatum fuit, ad Deum confugit, diſſimulatâ causâ preces indixit votum fecit. Quid deinde? hæſit in pœnis Conjurator, & occidit, qui Auſtriacæ Gentis

occa-

occaſum quærebat.

Tanti eſt amari à Deo; amorem, qui bene vivit, meretur; meruit Ferdinandus. *Monitum.*

PHILIPPVS. II. Hiſpaniæ Rex, ut Majeſtate, ita pietate magnus, nullum unquam tanti momenti negotium habuit, quod ipſum ab incepto pietatis officio avocaret. Cum in Eſcuriali Palatio pietati vacaret, nullam, etiam Principibus, ſui copiam faciebat. Salutis ſuæ negotium ſollicitis mundi curis anteferebat. Si quando diſcutiendæ conſcientiæ ſuæ operam dabat, inopinata de bellis, aut Regnorum adminiſtratione difficultas exoriretur in aliud illam tempus reijciebat, ne Regna, quàm animæ momenta, pluris æſtimare videretur. Impulit eum pietas, ut à Carolo. IX. Francorum Rege Divi Eugenij corpus Per Legatos poſtularet, quod is in Hiſpania Antiſtes aliquando Toletanus fuiſſet. Eadem animum ejus permovit, ut occupato Divi Quintini in Francia Fano, publico edicto caveret, ne quis ſacris Divorum Ædibus, Sacerdotibus, Religioſis hominibus, ac Senibus vim ullam inferret, utque Glorioſi Martyris Quintini ſingulari in honore pretioq; Lipſana conſer- *Cervera aliique.*

varentur.

Monitum. *Sciebat prudentissimus Monarcha; maximum Regnorum firmamentum pietatem esse Regum.*

VII. ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps, à pietate cognomen accepit, quod hęc inter ejus ornamenta virtus emineret. Dignus sanè nomine tam glorioso. Horas quotidie duas, manè unam, vesperi alteram genibus incumbens precibus divinisque contemplationibus impendebat. Canonicas Sacerdotum preces legebat; Sacrificio interesse nullo unquam die negligebat. Ad sacram Synaxim ita frequenter accedebat, ut vitam suam divinâ illâ mensâ sustentare crederetur. Erat ipse velut quidam in terris Divus; ejus Aula velut templum, nec melius componi religiosa domus potuisset. Hæc omnium est confessio. Nihil in ea luxui, nihil insolentiæ, nihil levitati permissum; omnia Castitatem, religionem, Sanctitatem spirabant. Peregrinationes ad loca sanctissima, potissimum ad Divam Hallensem, & Sichemiensem in Belgio, frequentissimè suscipiebat. Imò gloriosum sibi futurum arbitrabatur, si in suscepta ad Deiparam Virginē peregrinatione moreretur. Conscriptum in ejus honorem, ut vocant, Officium quotidie legebat.

Scribanus & alij in Funebrib. orationibus

Tanto

Tanto in Dei Matrem pijßimus Princeps amore fere-batur. Ita faciant qui regnare feliciter volunt. Monitum.

ALBERTUS IV. Archidux Austriæ, etiam ad visenda sacra Palestinæ loca vestigijs aliquando Christi pressa tanto pietatis ardore quondam exarsit, ut deduci à proposito nullius unquam authoritate potuerit. Dissuadebat Mater Beatrix, item Proceres, & pericula ostendebant. Ille obfirmato animo, rebusque omnibus constitutis Venetias proficiscitur, ubi à Senatu honorificè exceptus totam Vrbis magnificentiam perlustravit. Inde mari se committens felici in Syriam navigatione pervenit. Cum terram attigisset, nemini quis ipse esset aperuit, donec visitatis sacris ex ordine locis, acceptaque Equestri dignitate navem rursum ingressus explicari Austrij Principatus insignia jussit, ac tubis cani. Sospes demum nullo affectus incommodo ad suos domum reversus omnium lætitiâ plausuque excipitur. VIII. *Gerard. de Roo.*

Pietas sibi secura ubique est, nec quicquam reformidat. Monitum.

CAPVT III.

De cultu Sacrosanctæ Eucharistiæ.

1. RVDOLPHVS I. Imp.	6. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.
2. MAXIMILIANVS I. Imp.	7. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.
3. CAROLVS V. Imp.	8. ISABELLA Aust. R. Franc.
4. FERDINANDVS II. Imp.	9. PHILIPPVS IV. Rex Hisp.
5. FERDINANDVS III. Imp.	10. FERDINAD. Aust. Inf. Hisp.

AVstriacæ potentiæ principium & incrementum Sacrosanctæ Eucharistiæ cultus est. Idcircò enim majori terrarum orbis parti Austriaci Principes imperant, quia erga istud adorandum Angelis hominibusque Sacramentum tam reverentes sunt, tam pij. Fidem cœlum fecit, & oracula.

1. RVDOLPHVS I. nondum Cæsar, sed Comes tantum Hasburgensis, & modicæ fortunæ, die quodam cum paucis equis, venatum ierat, Cœlum pluvium & inserenum erat, viæ sordidæ & fractæ. Fortè Parochus tum ægro cuidam Sacrosanctam Eucharistiam tanquam morituro Viaticum, pedes deferebat, & ecce Rudolpho occurrit. Is aspectu Parochi subitò perculsus & equo desiliens, *Me vehi*, inquit, *& te, qui Salvatorem*

I. Lipsius lib. 1. monit. cap. 4

meum

meum portas, pedibus incedere? Indecorum vel impium sit. Cape hunc equum & conscende. Conscendit Parochus, subsequitur capite nudato Rudolphus, & ad ipsas ægri ædes deducit; ab ijsdem mox eodem habitu reducit, equumque Sacerdoti donat. Sacerdos officio admonitus & mente dubio procul à Deo motâ Comiti abeunti benè precatus est, ac simul ipsi posterisque Imperium prædixit. Sunt qui ad Suevicam vatem prædictionem hanc referunt. Vt ut sit, illustris & omni pietate insignis Austriaca Gens hæreditarium inde à Conditore suo Eucharistiæ cultum accepit, & modo Christianum orbem maximâ parte moderatur.

Præpotens Deus corporis sui cultum terrarum Imperio compensat. Monitum.

MAXIMILIANVS I. Cæsar, adhuc juvenis, dum fortè feras audacius insectatur, in altissimam rupem evasit, unde nec referre pedem, nec ulterius progredi, nisi in præcipitium, posset. Quid ageret? Stabat in abrupto loco attonitus, temeritatem suam culpabat, nec aliter, quàm longâ diræ famis tabe, moriendum sibi esse putabat. Quippe nec funes aliavè instrumenta, quibus extraheretur, II.

heretur,

heretur, protendi ad ipſum poterant, nec ſemita ulla lapicidarum labore, etiammenſtruo, parari. Comites Miniſtrique conſilij prorſus inopes Dominum ſuum, ſed à longè, & non ſine lachrymis proſpectabant, juvare non poterant. Elapſo biduo Princeps cum nullam ſalutis ſpem videret, âbjectâ mortalis vitæ cupiditate, quâ ratione tutius ad cœleſtem gloriam tranſiret, cœpit cogitare. Igitur magnâ voce ſuos advocat, & ut Sacerdotes è loco viciniore Sacroſanctam Chriſti Corporis Euchariſtiam quamprimum adferrent ſibique monſtrarent, jubet. Satisfactum tam pio Principis deſiderio diligentiſſimè. Sed interea famâ tam acerbi caſus divulgatâ ingens per totam Provinciam luctus exoritur. Auguſti Parentes inprimis, Principes, Senatores, univerſi Ordines ſortem infelicem deplorant. Fit concurſus ad templa, vota publicè nuncupantur, ſupplex ad aras populus procumbit, omnes divini Numinis iram deprecantur. Et certè immortalis Dei iram votis precibuſque flecti miraculo tum enituit, Nam cùm Maximilianus in ſcopulo ſemet immortalitatis & Dei ſervatoris ſui contemplatione occuparet, audit non procul à ſe

Stephnaus Pighius in Hercule Prodicio.

à ſe ſtrepitum, circumſpicienſque videt arreptare per rupis latera juvenem habitu Ruſticum, dimovere ingentia ſaxa, & callem parare. Qui cum ad ipſum acceſſiſſet, porrectâ dexterâ, *Macte*, inquit, *animo virtuteque tua, Princeps, vivit & adeſt, qui te ſervare poteſt. Depone metum & me ſequere, actutum te in loca tutiora traducam.* Nec mora deterſo animi angore Ducem illum ſequitur Princeps, & in patentiore via poſitus deſcendit, nec ſui liberatoris induſtriam mirari ſatis poteſt. Fit ad eum concurſus Comitum, Nobilium ac Miniſtrorum, ubi inter gratulantium turbas Ducem amiſit. Luctu in gaudium converſo ipſe equo exceptus à ſuis domum reducitur. Poſtero die cum læti Patris edicto Dux ille ubique quæreretur, nec diu quæſitus inveniretur, creditum vulgo eſt Angelum Cuſtodem à Deo miſſum fuiſſe. Maximilianus autem ad rei memoriam in illo periculi ſui loco Chriſti è Cruce pendentis effigiem poni, ſemitamque muniri juſſit. Vt nimirum peregrinantes divinum auxilium ubique in periculis paratum eſſe admonerentur.

Certè illud ipſe expertus eſt, & ſui cultus in ſacrum iſtud pignus præmium accepit. Monitum.

 CARO-

generi aut nobilitati dare, ſed ſoli virtuti, optimâ ratione ſe Catholicæ Religioni conſulturum exiſtimabat, ſi ſacris munijs eos præficeret, quos vitæ integritas & doctrina commendarent. Ideò in Eccleſiaſticorum delectu ſeveriſſimus erat, ſed & fortunatiſſimus. Scrutabatur ſingula, ante actam vitam, & præſentes mores. Nec unquam in delectu ſuo fruſtratus eſt. Felicitatis hoc eſſe potuit, ſed quam prudentia gignebat, pietas merebatur.

Scribanus in Politico Christiano.

Monitum. *Benè regunt, qui doctrinâ, melius qui vitâ; ad hanc ſubditi convertuntur. Ac veriſſimus ſanè conſervandæ Religionis eſt modus, ſi boni ſint, qui præſunt.*

CAPVT II.

De pietate & fiducia in Deum.

1. RVDOLPHVS I. Imp.	5. FERDINANDVS II. Imp.
2. MAXIMILIANVS I. Imp.	6. PHILIPPVS II. Hiſp. Rex.
3. CAROLVS V. Imp.	7. ALBERTVS Pius Prin. Bel.
4. FERDINANDVS I. Imp.	8. ALBERTVS IV. Archidux.

NOn alia tanti zeli origo, quàm ipſam in Deum pietas. Quippe tam pij ſunt Principes Auſtriaci, quam ferventes & zeloſi. Et quia ſuum à ſupremo Numine Imperium eſſe certò ſciunt, illi ſe libenter ſubmit-

submittunt, & submissè adorant. Nemo dixerit pietatem; privatorum: aut hominum divino cultui voto obstrictorum, virtutem esse propriam: in Regibus & Principibus præcipuum est ornamentum, summamque gloriam habet. Consideremus igitur eorum pietatem, ut gloriam agnoscamus.

RVDOLPHVS I. IMP. Vt Gentis Austriacæ Conditor, ita Posteris suis exemplo ad pietatem præivit. Certas quotidie precibus ad Deum fundendis horas dabat; nec hanc consuetudinem negotia, etsi ardua, interrumpebat. Imperaturum se feliciter credebat, si benè sibi cum Deo esset, & ejus benevolentiam conciliaret. Ex hac pietate certa illi in Deum fiducia fuit. Vnde cum Imperij diadema Aquisgrani susciperet, nec fortè tunc ad manum Sceptrum esset, crucem ex Aris arripiens dignam se vocem edidit. *Hoc signum est, quo genus humanum, & nos redempti sumus; hoc ego sceptro in omnes mihi & Imperio infidos utar.* Pietatis ista vox fuit. Quis neget preces ejus plus, quam arma potuisse? Cum in prælio adversus Ottocarum Bohemiæ Regem suos in discrimen adductos videret, media in acie genibus incumbens divini Numinis opem ardentissimis precibus efflagitavit. Nec illum pietas fefellit; animum mili-

G. de Roo lib. 1.

tes receperunt, ipse vicit.

Monitum. *Vinci non potest, qui Deum in partes suas evocat in eoque confidit.*

MAXIMILIANVS I. IMP. Cùm in Blangiaca apud Belgas pugna milites suos disertâ oratione ad pugnā inflammasset, monuissetq; meminissent, homines quidem in prælio concurrere, sed victoriam à Deo exspectandam, atque illum justæ causæ semper adesse, mandavit, ut in genua ter singuli procumberent, totiesque fusis precibus victoriam à Deo postularent. Fecit id ipse primus, & votum adjecit; secutus Imperatorem est miles, totusque in terram exercitus procubuit. Germani Angliquè in prima acie constituti veteri Gentium more terram etjam tertiò suis osculis delibarunt. Inde post aliquod primò discrimen secuta de Francis victoria fuit. Pietatis ista sanè victoria.

P. Heuter. Lib. I.

Monitum. *Ità est victoria è cœlo pietas extorquet, quàm quia domi forisque Maximilianus nunquam deseruit, felix ubique fuit.*

III. CAROLVS V. IMP. verè Pius quotidie manè priusquam vestiretur, talari dumtaxat togâ corpori obductâ; & genibus terram premens divinæ Majestati preces horæ unius circiter

spatio,

ſpatio fundebat. Nonnunquam ita animus in illo ardebat, ut exclamaret, *In manus tuas, Domine; tradidi Eccleſiam tuam.* Pro hujus enim tranquillitate concordiaque, quam maximè optabat, Deum ſemper deprecabatur. Deinde Cubicularijs admiſſis Canonicas preces, Sacerdotum more, recitabat, ac poſtea Reipublicæ negotijs vacabat. Tum imminente meridie, ut Sacrificio intereſſet, procedebat; eo abſoluto ad menſam. *Surius in Hiſtor. ſua*

Audiat poſteritas, ſemel toto vitæ curriculo rem divinam dumtaxat bello Africano omiſit, cum ea propter detonantem tempeſtatem fieri omninò in prætoria navi non poſſet.

Capto ad Ticinum Franciſco I. Galliæ Rege, cum omnium oculi in Carolum intenti eſſent, ut quo vultu tantæ victoriæ nuntium exciperet, animadverterent, nullâ lætitiæ ſignificatione, prohibitis etiam publici gaudij ſignis, confeſtim ad templum totâ aulâ ſequente perrexit, Deoque gratias perſolvit. *Pont. Heuter. aliją.* Altero die ſacram Synaxim ſumpſit, & ſolemnes dierum ſeptem ſupplicationes indixit. Deo quippe victoriam iſtam acceptam ferebat, & ut omnium ore celebraretur, volebat. Idem cum Saxonum aliorumque ingentes copias

pias exiguâ manu fudiſſet, de pugnæ eventu ad Summum ſacrorum Principem ita ſcripſit. *Veni, vidi, Christus vicit.* Ita non ſibi, ſed Deo, victoriæ gloriam adſcribebat.

Ex Zelandia in Hiſpaniam vela faciens, ubi Laredium in Biſcaia portum attigit, terram inclinatis genibus oſculatus eſt, actiſq; pro felici itinere Cœleſti Numini gratijs, eidem corpus ſuum, tanquam alteri Matri, commendavit. Tum auream pendentis in cruce Chriſti effigiem proferens, *Te Duce, inquit, O Christe, toties cum hoste feliciter conflixi, tot victorias triumphosque reportavi, nomen mihi famamque comparavi; quicquid inde decoris, quicquid gloriæ, tibi, qui tribuisti, acceptum refero. Et quoniam corpori meo hanc terram post fata sedem elegi, tu animæ felicem exitum concede, ac totam tibi auctor ipse vendica*, Hæc Caroli Pietas fuit.

IV. FERDINANDVS. I. Caroli Frater & poſt illum Imperator, cum penè aſſiduas Divinæ Majeſtati preces funderet, tum quotidie ferventiſſimis votis eidem Eccleſię & Imperij incolumitatem ſalutemque commendabat. Adeò etiam cum in extremo morbo inſtare ſibi mortem videret, anxio ſolicitoque animo id agebat, num diſtractis in Germania Eccleſijs adferre concordiam poſſet.

Ex Panegyrico eius

Cuſpiniano

Pijſsimus

Pyßimus Cæsar cum corpore solveretur, magis de Ecclesiarum statu paceque, quam de suo periculo angebatur. *Monitum.*

FERDINANDO. II. Cæsari de tot hostibus triumphum & Imperium pietas dedit. Vincebat quippe in tot Ducibus pugnantibus Deus, sed Ferdinandus Dei favorem suis precibus conciliabat. Modus & ordo tantæ pietatis hic fuit. Experrectus è somno diem à Sanctissimæ Trinitatis adoratione auspicabatur, hancque præcatiunculæ formulam subjungebat. *Per Signum Crucis de Inimicis nostris libera nos Deus noster.* Isti alias addebat nunc brachia expandendo, nunc terram osculo tangendo. Duobus deinde Sacerdotibus ad aras ordine operantibus summâ pietate aderat, ac fine rei divinæ imposito Lauretanæ Virginis laudes, (quas Litanias vocant) aut præeunte Sacerdote, aut Musicum inter concentum recitabat. Interdiu Regnorum & Imperij negotijs curas impendebat, nunquam tamen pietatis oblitus. Nam subinde hominum oculis sese subducebat, ut cum Deo ageret, etiam inter venandum plerumque. Enimvero idem illi diei auspicium & finis. Nunquam enim ad quietem aliter se adultâ nocte componebat, quam

Scribanius in Politi o Christiano.

Guilielmus Lamormainus.

quàm discussâ prius conscientiâ totum se penitus introspexisset, singulaque propemodum elapsi diei momenta percurrisset. Sic mori semper paratus erat, & in lectum, tanquam sepulchrum, descendebat. Nullum illi in divinis officijs aut supplicationibus publicis longum tempus; intererat libenter, & eo vultu, ut ad pietatem populum excitaret. Volebat quidam inter sacra sermonem cum eo miscere, *Sile*, inquit, *ne scandalo simus.* Cum publicè insigni aliquo facinore pietatem testaretur, omnium vox erat, *Hodie Ferdinandus hostium aliquot millia profligavit.*

Ceterum quanta ejus pietas, tanta in Deum fiducia. Efflagitabat cœleste auxilium, & impetrabat. Vnde cum quorundam litteris, Regem Angliæ bellum in eum meditari, admoneretur, *meditetur* inquit, *Deus in cœlo est.* Alias de multorum Regum & Principum percusso adversus se fœdere certior factus, *ut sal aquâ*, inquit, *ita istorum conspiratio divino patrocinio dissolvetur.* Posteaquam ad ejus aures Fritlandiæ Ducis facinus perlatum fuit, ad Deum confugit, dissimulatâ causâ preces indixit votum fecit. Quid deinde? hæsit in pœnis Conjurator, & occidit, qui Austriacæ Gentis occa-

occasum quærebat.

Tanti est amari à Deo; amorem, qui bene vivit, meretur; meruit Ferdinandus. *Monitum.*

Philippvs. II. Hispaniæ Rex, ut Majestate, ita pietate magnus, nullum unquam tanti momenti negotium habuit, quod ipsum ab incepto pietatis officio avocaret. Cum in Escuriali Palatio pietati vacaret, nullam, etiam Principibus, sui copiam faciebat. Salutis suæ negotium sollicitis mundi curis anteferebat. Si quando discutiendæ conscientiæ suæ operam dabat, inopinata de bellis, aut Regnorum administratione difficultas exoriretur in aliud illam tempus reijciebat, ne Regna, quàm animæ momenta, pluris æstimare videretur. Impulit eum pietas, ut à Carolo. IX. Francorum Rege Divi Eugenij corpus Per Legatos postularet, quod is in Hispania Antistes aliquando Toletanus fuisset. Eadem animum ejus permovit, ut occupato Divi Quintini in Francia Fano, publico edicto caveret, ne quis sacris Divorum Ædibus, Sacerdotibus, Religiosis hominibus, ac Senibus vim ullam inferret, utque Gloriosi Martyris Quintini singulari in honore pretioq; Lipsana conser- *Cervera aliique.*

 varentur.

varentur.

Monitum. *Sciebat prudentissimus Monarcha; maximum Regnorum firmamentum pietatem esse Regum.*

VII. ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps, à pietate cognomen accepit, quod hęc inter ejus ornamenta virtus emineret. Dignus sanè nomine tam glorioso. Horas quotidie duas, manè unam, vesperi alteram genibus incumbens precibus divinisque contemplationibus impendebat. Canonicas Sacerdotum preces legebat; Sacrificio interesse nullo unquam die negligebat. Ad sacram Synaxim ita frequenter accedebat, ut vitam suam divinâ illâ mensâ sustentare crederetur. Erat ipse velut quidam in terris Divus; ejus Aula velut templum, nec melius componi religiosa domus potuisset. Hæc omnium est confessio. Nihil in ea luxui, nihil insolentiæ, nihil levitati permissum; omnia Castitatem, religionem, Sanctitatem spirabant. Peregrinationes ad loca sanctissima, potissimum ad Divam Hallensem, & Sichemiensem in Belgio, frequentissimè suscipiebat. Imò gloriosum sibi futurum arbitrabatur, si in suscepta ad Deiparam Virginé peregrinatione moreretur. Conscriptum in ejus honorem, ut vocant, Officium quotidie legebat.


Scribanus & alij in Funebrib. orationibus

Tanto

Tanto in Dei Matrem pijßimus Princeps amore fere-batur. Ita faciant qui regnare feliciter volunt. Monitum.

ALBERTVS IV. Archidux Austriæ, etiam ad visenda sacra Palestinæ loca vestigijs aliquando Christi pressa tanto pietatis ardore quondam exarsit, ut deduci à proposito nullius unquam authoritate potuerit. Dissuadebat Mater Beatrix, item Proceres, & pericula ostendebant. Ille obfirmato animo, rebusque omnibus constitutis Venetias proficiscitur, ubi à Senatu honorificè exceptus totam Vrbis magnificentiam perlustravit. Inde mari se committens felici in Syriam navigatione pervenit. Cum terram attigisset, nemini quis ipse esset aperuit, donec visitatis sacris ex ordine locis, acceptaque Equestri dignitate navem rursum ingressus explicari Austrij Principatus insignia jussit, ac tubis cani. Sospes demum nullo affectus incommodo ad suos domum reversus omnium lætitiâ plausuque excipitur. VIII. *Gerard. de Roo.*

Pietas sibi secura ubique est, nec quicquam reformidat. Monitum.



CAPVT III.

De cultu Sacrosanctæ Eucharistiæ.

1. RVDOLPHVS I. Imp.	6. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.
2. MAXIMILIANVS I. Imp.	7. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.
3. CAROLVS V. Imp.	8. ISABELLA Aust. R. Franc.
4. FEEDINANDVS II. Imp.	9. PHILIPPVS IV. Rex Hisp.
5. FERDINANDVS III. Imp.	10. FERDINAD. Aust. Inf. Hisp.

AVstriacæ potentiæ principium & incrementum Sacrosanctæ Eucharistiæ cultus est. Idcircò enim majori terrarum orbis parti Austriaci Principes imperant, quia erga istud adorandum Angelis hominibusque Sacramentum tam reverentes sunt, tam pij. Fidem cœlum fecit, & oracula.

1. RVDOLPHVS I. nondum Cæsar, sed Comes tantum Hasburgensis, & modicæ fortunæ, die quodam cum paucis equis, venatum ierat, Cœlum pluvium & inserenum erat, viæ sordidæ & fractæ. Fortè Parochus tum ægro cuidam Sacrosanctam Eucharistiam tanquam morituro Viaticum, pedes deferebat, & ecce Rudolpho occurrit. Is aspectu Parochi subitò perculsus & equo desiliens, *Me vehi*, inquit, *& te, qui Salvatorem meum*

1. *Lipsius lib. 1. monit. cap. 4*

meum portas, pedibus incedere? Indecorum vel impium sit. Cape hunc equum & conscende. Conscendit Parochus, subsequitur capite nudato Rudolphus, & ad ipsas ægri ædes deducit; ab iisdem mox eodem habitu reducit, equumque Sacerdoti donat. Sacerdos officio admonitus & mente dubio procul à Deo motâ Comiti abeunti benè precatus est, ac simul ipsi posterisque Imperium prædixit. Sunt qui ad Suevicam vatem prædictionem hanc referunt. Vt ut sit, illustris & omni pietate insignis Austriaca Gens hæreditarium inde à Conditore suo Eucharistiæ cultum accepit, & modo Christianum orbem maximâ parte moderatur.

Præpotens Deus corporis sui cultum terrarum Imperio compensat. Monitum.

MAXIMILIANVS I. Cæsar, adhuc juvenis, dum fortè feras audacius insectatur, in altissimam rupem evasit, unde nec referre pedem, nec ulterius progredi, nisi in præcipitium, posset. Quid ageret? Stabat in abrupto loco attonitus, temeritatem suam culpabat, nec aliter, quàm longâ diræ famis tabe, moriendum sibi esse putabat. Quippe nec funes aliavè instrumenta, quibus extraheretur, II.

à se strepitum, circumspiciensque videt arrepare per rupis latera juvenem habitu Rusticum, dimovere ingentia saxa, & callem parare. Qui cum ad ipsum accessisset, porrectâ dexterâ, *Macte*, inquit, *animo virtuteque tua, Princeps, vivit & adest, qui te servare potest. Depone metum & me sequere, actutum te in loca tutiora traducam.* Nec mora deterso animi angore Ducem illum sequitur Princeps, & in patentiore via positus descendit, nec sui liberatoris industriam mirari satis potest. Fit ad eum concursus Comitum, Nobilium ac Ministrorum, ubi inter gratulantium turbas Ducem amisit. Luctu in gaudium converso ipse equo exceptus à suis domum reducitur. Postero die cum læti Patris edicto Dux ille ubique quæreretur, nec diu quæsitus inveniretur, creditum vulgo est Angelum Custodem à Deo missum fuisse. Maximilianus autem ad rei memoriam in illo periculi sui loco Christi è Cruce pendentis effigiem poni, semitamque muniri jussit. Vt nimirum peregrinantes divinum auxilium ubique in periculis paratum esse admonerentur.

Certè illud ipse expertus est, & sui cultus in sacrum istud pignus præmium accepit. *Monitum.*

III. Carolvs V. Imp. Cùm anno ſupra milleſimum quingenteſimum trigeſimo, pridie diei Auguſtiſſimo huic Sacramento ſacri comitantibus Ferdinando Fratre & Imperij Proceribus Auguſtam Vindelicorum appuliſſet, publicæ ſupplicationi, (ut aliàs ſemper) poſtero die intereſſe vel idcirco deſideravit, ut Principes Martino Luthero tum adhærentes ſuo exemplo permoveret, aut certè confunderet. Nunquam viſa pompa major, & ea ex Cæſaris edicto. Moguntinus Archiepiſcopus Sacris illo die operatus ſub umbella Euchariſtiam portabat, cujus dextrum latus Ferdinandus Rex, ſiniſtrum Ioachimus Marchio Brandeburgenſis tegebat. Cæſar ſimplici è nigro holoſerico veſte amictus, & ardentem manu tædam gerens pone ſolus procedebat. Principes deinde omnes pari cum facibus modo, tum ingens populi multitudo. Præcedebat ſacer ordo ſymphoniacique, & poſt Cæſaris Principumque Nobiles Domeſtici cum cereis ardentibus omnes. Fervebat pietate urbs tota, & tanti Imperatoris exemplo divini iſtius Sacramenti cultus in omnium animis cum amore creſcebat.

Heuter. & Hiſt. Germanica

Regnum

Regum exempla regulæ sunt & præcepta.

FERDINANDVS II. IMP. Nulli mortalium in hoc Sacrosanctæ Eucharistiæ cultu cessit. Supplicationibus intererat omnibus, pedes, nudo capite, interdum floreo redimitus serto, facem dextrâ gerens. Nec aliter, quàm triumphanti Christo, famulari se credebat. Quodam tempore cum diutius facem gestasset, manus illi & brachium intumuerat. Die altero cum iterum interesse Supplicationi vellet, etsi brachium fasciâ è collo dependente sustentaret, Procerum quidam, *Cæsar*, inquit, *hodie à face ferenda cessandum est;* cui ille, *superest*, ait, *manus adhuc altera, quâ Deo serviam.*

Monitum. IV.

Guilielmus Lamormainus.

Quoties turbulentissimo bellorum tempore adversa aliqua, periculaque ingruebant, publicum Eucharistiæ cultum indicebat, ac coram eâ, ut præsens divini Numinis auxilium impetraret, sese abijciebat. Si quispiam Sacerdotum cum eadem forte pertransiret, è curru vel equo desiliens, lutulentâ etiam in humo, Deum adoraturus, genua figebat, ac plerumque quocunque euntem prosequebatur.

Cùm ad indicta Ratisbonæ Comitia pro-

ficiſceretur Laureaci & Lincij (quæ Auſtriæ Superioris Oppida ſunt) ut ab anniverſarijs Euchariſtiæ Supplicationibus non abeſſet; ſubſiſtit. Ibi verò contemplatus ingentem hominum multitudinem, quę eò pietatis cauſâ confluxerat, inuſitatâ perfuſus lætitiâ; *Hoc*, inquit, *gaudiorum omnium maximum mihi eſt, quod ante obitum meum ijs in locis Euchariſtiam coli videam, in quibus impij paulò ante homines ſacrilegâ in eam linguâ debacchabantur.* Tua iſta gloria eſt, Ferdinande Auguſte, quod ſolo tam Auguſti Sacramenti aſpectu, vel ejuſdem ſumptione vivere videbaris.

Monitum. *Ita vivant Principes, & ſic cum Deo.*

V. FERDINANDVS III. Glorioſiſſimus hodie Cæſar, nunquam, ne in caſtris quidem, & inter armatas Legiones publicum Euchariſtiæ cultum omiſit. Idcircò cum arctiſſima Ratisbonam obſidione eo tempore cingeret, quo Eccleſia Sacramenti hujus cultui octiduum impendit, Supplicationes in Caſtris ſuis Chriſtiano peragi ritu imperavit. Comitabatur ipſe ſingulari pietatis exemplo, quem Tribuni, Centuriones, milites armati, clangentibus tubis buccinisque & reſonantibus tympanis, diffusâ latè ardentium facium luce,

Ex memorys temporum.

luce, ſequebantur. Accedebat ingens machinarum æ nearum, velut in triumpho, fragor, quo omnia circumquaque perſtrepebant. *Vicit Vrbem pijſſimus Imperator, & victoriam iſtam tantæ pietati debitam cœlum indulſit.*

PHILIPPVS II. Hiſpaniarum Rex, cum Cordubæ in Hiſpania eo anni tempore ageret, quo Chriſti Corpus anniverſario ritu circumfertur, dies erat æſtivus, & fervens, ſed ipſe comitatus detecto capite Solis ardorem Auſtriacâ pietate ſuperabat. Et quidem cum è Dynaſtis unus Regiæ ſalutis anxius moneret, ut Majeſtas ſua æſtum vitaret, reſpondit pijſſimus Rex, *Illo die Sol aut lædere, aut offendere quenquam non poteſt.* VI. *P. Heater. alijque.*

Deo ſerviens pietas nihil timet.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum hodie Monarcha Avum ſuum illum, & Majores omnes Auſtriacos imitatus, nihil glorioſius ſibi exiſtimavit, quàm ſi Auguſtiſſimum hoc Sacramentum omni honore proſequeretur. Vnde cum intellexiſſet illud à Francis & Batavis in Vrbis Thenenſis excidio pedibus conculcatum & turpiſſimo ludibrio affectum eſſe, *Ego*, inquit, *Sacroſanctum Salvatoris noſtri Corpus ſublimius extollam, quàm impij hoſtes* *Monitum.* VII. *Ex memorijs temp.*

 noſtri

nostri depresserunt. Mox totâ Hispaniâ Supplicationes indixit, quibus tantâ, quantâ fieri pompâ posset, populo comitante & applaudente universo, Sacrosancta Eucharistia circumferretur. Satisfactum Regis desiderio & mandato fuit.

Monitum. *Ignominiam hostes, gloriam Philippus reportavit.*

VIII. ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps suo & Isabellæ Conjugis exemplo Sanctissimi Sacramenti cultum toto Belgio asseruit. Nunquam ille, nec hæc, absuit, cum Bruxellæ, in Vrbe Regia, maximo vicinarum Vrbium confluxu, miraculis clara ibidem hostia, solemni sacri Ordinis pompâ comitantibus Proceribus, & singularum Curiarum Senatoribus, circumfertur. Quoties verò Pijssimus verè Princeps ex equo desilijt? quoties è Rheda prosiluit, ut Sacerdotes Sacram Eucharistiam portantes ipse pedes sequeretur? Testes sunt, quicunque Bruxellæ.

Ex funebribus orationibus.

Monitum. *Tanta pietas Pij cognomen Alberto promeruit; merebuntur, qui imitabuntur.*

XI ISABELLA Austriaca hodie Franciæ Regina, Ludouici XIII. Conjux, ægra quanquam esset aliquando, ne tamen transeunte per vicos

vicos Regiæ urbis Euchariſtiâ parum decore ſederet, deponi ſe ex vehiculo curavit, & adoravit. Viderunt Pariſienſes, laudaverunt, & Reginæ ſuæ exemplo ad cultum iſtum inflammati ſunt. *Exercentibus Franciae hiſtor.*

Vbicunque Auſtriaci ſunt, hac pietate genus ſuum produnt. *Monitum.*

X. FERDINANDVS Auſtriacus Infans Hiſpaniarum hodie Burgundiæ & Belgij Prorex, quem accepit à Majoribus ſuis Euchariſtiæ cultum, exemplo ſuo propagat & confirmat. Si in expeditionibus bellicis ſit (quemadmodum adverſus Francos Batavoſque hactenus æſtivo tempore ſemper fuit) celeribus equis ac cum paucis in Vrbem Regiam è Caſtris feſtinat, ut Supplicationibus in honorem Euchariſtiæ quotannis Bruxellæ indictis præſens interſit. His peractis, & iſto pietatis exemplo populis relicto ad arma caſtraque eâdem celeritate revertitur. Mirum quantum iſta pietas Belgas in amorem ejus & admirationem excitet. Sed & nõnunquam, cum Sacerdotem ad infimæ ſortis hominem tunc ægrum cum Sanctiſſimo Sacramento properantem vidiſſet, è Rheda confeſtim deſcendit, raptaque è vicina domo face, & *Haec temp. vident & teſtantur.*

Nobili-

Nobilibus idem facere jussis magna animi submissione comitatus est. Cum autem ægri conditionem admodum tenuem intellexisset, ejus paupertatem insigni libaralitate recreavit erexitque. Favebit qui favit hactenus Magnus Deus.

Monitum. *Nullus divinæ Majestatis sine magno præmio cultus est.*

CAPVT IV.

De fiducia in Christi Crucem.

1. RVDOLPHVS I. Imp.
2. CAROLVS V. Imp.
3. FERDINANDVS II. Imp.
4. PHILIPPVS II. Rex Hisp.
5. ALBERTVS Pius Bel. Prin.

Quasi dictum Austriacis Principibus esset, quod olim Constantino Magno, IN HOC SIGNO VINCES, ita singulari in Christi Servatoris Crucem fiduciâ semper fuere. Neque sanè frustra. Cùm enim Crucem hanc præferri sibi ad pugnam ituris voluerint, in ejus signo sæpè vicerunt, & de suis hostibus triumpharunt. Illam sine præsenti auxilio nunquam coluerunt.

I. RVDOLPHVS. I. IMPERATOR hunc crucis victricis cultum Posteris suis reliquit, Quippe

Quippe pugnaturus adversus Ottocarum Bohemiæ Regem Christi Servatoris effigiem cruci affixam præferri sibi in acie per Albertum Hasburgensem curavit, moxque victor è prælio discessit. Imo quotiescumque miscere manus cum hoste debebat, si integrum esset, Veneris diem, seu feriam sextam; Sanctissimę Crucis cultui dicatam, semper expectabat. Aliquando sacram Cruci Ædem, si victoriâ Dei beneficio potiretur, vovit. Potitus est, & votum persoluit. *Ger. de Roa*

Quis dubitet sub hoc signo vincere Hostes, in quo Christus mundi Redemptor vicit dæmones? *Monitum.*

CAROLVS V. IMP. In eo prælio, quo ad Albim Saxoniæ Ducem profligavit, cum Christi in Cruce affixi imaginem ab Impio Milite plumbeâ trajectam glande, idque recenter animadvertisset, stetit primum & ingemuit; tam elatâ ad Deum voce, *Domine,* inquit, *si injuriam hanc ulcisci vis, potes. Ecce autem me vindicem tuum paratum, juva.* Audivit cœleste Numen, nam secuta paulò post cum hostium internecione victoria fuit. II. *Lipsius lib. 1. monitor.*

Idem Cæsar in expeditione Tunetana de Polemarcho sollicitus, cum idoneum reperiret neminem, vexillum Christi in Cruce *Aegidius Corrosetus alijque.*

E penden-

pendentis imagine insignitum in altum sustulit, &, *Hic*, inquit, *Dux noster erit, Rex Regum, Deus exercituum.*

Eodem in bello Andreâ Auriâ ad Classem relicto ipse armis tectus; Hispanico insidens equo, ferreumque manu clavum gerens, peditum Ordines verbis vultusque serenitate animabat; tum ad equitum aciem rediens ante Crucis imaginem solus equitabat. In ea quippe spem totam collocabat, & hoc ipsum militibus suis acclamabat. Ejus classis, cui Andream Auriam præfecerat, vexilla duo præferebat, unum, in quo Christi Cruci affixi Imago tanto artificio elaborata erat, ut spectantium animos ad commiserationem permoveret; alterum, in quo Aquila biceps scutum cum Cæsaris insignibus protendebat.

P. Heute. lib. 11.

Monitum. *Bellare sine Cruce Carolus nolebat, & per Crucem Crucis hostes vincebat. Oderunt hanc Hæretici & vinci per eam possunt.*

III. FERDINANDVS II. IMP. Suam in Crucis signo spem ponebat. Cùm Henricus Matthæus Comes Turrianus Viennæ ad muros rebellium Bohemorum exercitum admovisset, nec pauci in Vrbe illi faverent

conjura

conjurationis ejusdem socij, ante Christi Crucem Cæsar prostratus auxilium efflagitavit. Adfuit mox auxilium, periculum discussum, hostes fugati, boni recreati. Quid si dicam Christum è Cruce Ferdinando locutum? Asserunt multi, suâ ipse modestiâ subticuit.

Guilielm. Lamorm. ainus.

Illa verò celeberrima ad Pragam victoria, quâ Bohemiam prosttato Ferdinandi Palatini exercitu Ferdinandus Cæsar recepit, auspicijs Sanctissimæ Crucis parta sanè fuit. Summus enim Cæsarei exercitus Præfectus Carolus Comes Buquoius militaribus appingi signis curarat, unâ in parte Christi effigiem cum hac inscriptione, *Exurge Domine & judica causam tuam*; in altera Deiparæ Virginis imaginem, cum his verbis. *Monstra te esse Matrem.* Præterquam quod cum Cæsareani dato pugnæ signo in rebellium agmen irruerent, prælata illis per Religiosum notæ Sanctitatis Virum Carmelitam Crux fuerit, ut ab ea victoriæ auspicium sumerent. Sumpserunt, vicerunt, triumpharunt. Imò Pragæ in ponte maximo erecta ingentis magnitudinis Crux erat, quam intactam Palatini asseclæ, cum sacras Ædes & Divorum statuas demolirentur, veriti plebis tumultum, relique-

Ex hist. rebellionis Bohemiæ.

rant. Et hæc victoriæ omen etiam fuit, juxta quam capere iter, cum fugeret Palatinus, debuit, etsi illac nunquam se transiturum ipse Conjuxque juravissent. Tanto in Crucem odio ferebatur, sed ejus vim, turpissimè fugiendo sensit.

Monitum. *Crucem humanæ redemptionis signum qui credit, non potest non in ea fiduciam in adversitatibus collocare.*

IV. PHILIPPVS II. Hispaniarum Monarcha quemadmodum totâ vitâ, ita in morte spem omnem fiduciamque in Cruce fixit. Quippe Crucem unam à Carolo Cæsare Parente suo acceptam gestare animam mox efflaturus voluit; eandem postea Philippo Filio tradi. Aliam verò, cum quâ sepeliretur, suspendi è collo suo desideravit. *Felicem sibi ex hac vitâ excessum Pijssimus Rex futurum iudicavit, si cum Cruce moreretur, & cum Cruce in tumulum deponeretur.*

Cervera lib de excessu Philippi II.

V. ALBERTVS PIVS, memor salutis in Cruce partæ, singulari eam cultu prosequebatur. Illam Piorum equidem hominum, sed Christianorum maximè Principum signum esse dicebat. Vtpote qui sub illo salutari signo timere nihil possent, sperare omnia deberent.

Cùm

Cùm esset Coloniæ Agrippinæ institutū Apostolicâ Authoritate in ejus honorem sodalitium, ei nomen quamprimum dedit, pluresq; suo exemplo Principes attraxit. Et cum sodalitij istius finis sit, ut ad Religionem Chatholicam adducti, aut post errorem reducti, juventur, ne paupertas a fide susceptâ quenquam deterreat, sæpius ingentem pecuniæ vim Coloniam transmisit, ut hoc tam sancto munere fungi Sodalitium istud defungique posset. *Ex funebribus Orationibus.*

Magnorum sane Principum est, redemptos in Cruce homines redemptionis fructu carere nolle, & juvare. *Monitum.*

CAPVT V.

De Reverentia in Ecclesiam & Ecclesiasticos viros.

1. Carolvs V: Imp. | 3. Philippvs II. Rex Hisp.
2. Ferdinandvs II. Imp. | 4. Philippvs III. Rex Hisp.

Ecclesiam, Ecclesiæ Caput, & Sacrum Sacerdotum Ordinem Austriaci Principes amarunt semper & coluerunt. Quippe divinum in ijs Numen honoratur, ac potissimum si Ordini vitæ Sanctitas adjungatur. Quanquam plus Ordini sacrorumque titulo,

 quàm

quàm homini aut personæ debetur. Dominos aut Patres appellare consuetum illis, benevolum etiam animum ostendere, ac si opus, juvare. Sed inprimis summum Ecclesiæ Caput, Romanum Pontificem, tanquam Principum omnium & Christianæ Reipublicæ Parentem venerati sunt; atque ejus edicta, non aliter, quàm oracula acceperunt, obedientiam tanquam Patri voverunt, Sedis Apostolicæ dignitatem viribus omnibus defenderunt; nec ullius unquam Ecclesiæ hostis fuit, quem non ipsi suum hostem judicarint. Credunt enim supremam in Regnis suis potestatem non tantum ad hominum regimen, sed maximè ad Ecclesiæ subsidium sibi esse collatam. Et verò etiam se Religionis & Ecclesiæ Protectores esse certo sciunt.

I. Quem prius hic, quam CAROLVM V. Imperatorem producam? Ab eo cum Sectarij quidam divinum Verbum promulgandi potestatem dari sibi efflagitarent, animo verè Regio Christianoque respondit, *Non meum est de puritate divini Verbi cognoscere; Episcoporum hoc munus est, quorum judicio ego me etiam libens submitto, & jurisdictionem in omnibus salvam esse volo.* Verè & piè.

Surius ad annum 1548.

Monitum: *Sacro Ordini in rebus sacris Principes subsunt, nec in eum authoritatem habent, aut jus ullum, sed illius custodiam & tutelam.*

Cùm

Cùm post captum ad Papiam Franciscum I. Galliæ Regem, quidam Italiæ Principes rupto fœdere ad arma prosiluissent, hujus autem facti invidiam ad Clementem VII. Romanum Pontificem Franci derivarent, Cæsareani Duces translato in Latium bello Romam Orbis Caput, ut rupti fœderis authorem ad æquitatem reducerent, obsederunt, intraque horas septem expugnarunt. Vrbe captâ Pontifex cum purpuratis Patribus & Episcopis aliquot ad Divi Adriani molem, (quam Angeli Castellum vocant) profugit. Sed mox à Philiberto Arausionensium Principe circumsessus deditionem cum suis fecit, seque nihil amplius adversus Cæsarem moliturum promisit. Quod cum Carolus in Hispania tum degens intellexisset, nullum lætitiæ signum aut publicè aut privatim ostendit; verum ut libertatem Pontifex consequeretur, quadraginta dierum Supplicationes indixit, utque quàm honestissimis pro Pontifice conditionibus ab armis discederetur, mandavit. Eo enim absente bellum hoc citius gestum confectumque fuerat, quàm ipse inceptum audivisset; unde fiebat, ut propter hanc Pontificis calamitatẽ gravissimo dolore

Zenocharus lib. 1.

dolore percelleretur. Eum quippe vehementer amabat, & ſtudiosè colebat. Impetrata proinde à Cæſare libertas quamprimum reſtituta Pontifici fuit; & hic aliquot annis poſt Imperiali diademate Carolum Bononiæ coronavit.

Monitum. *Simultates cum prima Sede fovere nolle, Imperij felicis eſt ſignum.*

II. Admirabitur FERDINANDVM II. Poſteritas, cujus tanta in ſacrum Ordinem reverentia fuit, ut aliquando diceret, *Si mihi cum Angelo Sacerdos occurreret, Sacerdotem primo, tum Angelum ſalutarem honoraremque.* Non id equidem evenit, quotieſcunque tamen obvius illi Sacerdos fiebat, pileo capiti detracto ſalutabat. Si accederet loquique vellet, Germanorum more Principum, dexteram porrigebat; at oſculum infigi nequaquam permittebat. Nullo non die certas ſtataſque preces pro univerſo Eccleſiaſticorum Ordine cœleſti Numini offerebat; potiſſimum verò pro Summo Eccleſiæ Pontifice, in quo vicariam Chriſti authoritatem magnâ ſubmiſſione venerabatur. Imò ſummi momenti controverſias ejus unius arbitrio decidendas componendaſque libenter relinquebat. Atque idcirco Cleſelium Cardinalem

Guilielm. Lamorm.

dinalem Romam abire passus ejus authoritati commisit. Nihil Ecclesiastico Ordini detrahi permisit, & liberiores in eum linguas sæpè compescuit.

Sancta & inviolabilis apud bonos Principes Ecclesiasticorum fama esse debet, quibus ab hominum genere honor debetur. **Monitum.**

Pari animo PHILIPPVS II. Hispaniæ Rex fuit. Cùm orta contentio de primo considendi loco inter Legatos Hispaniæ & Galliæ Regum esset, eaque de causa verendum esset, ne Ecclesiæ Concilium aut dirimeretur, aut, quod Galli optabant, differretur, Philippus Legato suo Claudio Quinnones Comiti Lunensi scripsit. *Quod si hâc causâ occasioneque Concilij progressus & Religionis Catholicæ defensio incrementumque pati damnum potest, malo cuivis è plebe homini abjectissimo postponi, quàm ut Ecclesia ejusque Religio detrimentum aliquod patiatur.* Magni Regis magna profectò submissio. *Herera in Hist. Philipp. II. lib. 5. c. 2.*

Ostendit nimirum cedere Imperia Ecclesiæ bono debere, nec obstinate contendendum cùm Religionis quæritur incrementum. **Monitum.**

Talis cùm esset Philippus, posteaquam ejus mortem Clemens VIII. Pontifex intellexit, Orationem in Cardinalium consessu

Cervera de vita Philippi II. habuit, quâ inter alia declaraavit, Philippum Regem in expellendis ab Ecclesia Hæreticis plus multò expendisse, quàm omnes simul Reipublicæ Christianæ Reges Principesque. In ejus vita Ecclesiæ incolumitatem sitam fuisse, nec aliud superesse solatium in tanta universorum jactura, quàm quod ejus effigies in Philippo Tertio successore appareret.

IV. Neque sanè PHILIPPVS III. aliter in Hispania, quàm pro Ecclesia, voluit regnare. Quippe regnum post Philippi II. Patris mortem adeptus, totum se quamprimum Clementi VIII. Ecclesiæque per Legatos obtulit, *Idem Cerv dist. 3. c. 14* ac suas illi opes devovit. Adeò se Regem non existimabat, nisi pro Ecclesia Rex esset. Vt faustum fortunatumque ejus esset Imperium, felicem Apostolicæ Sedis apprecationem & Iubilæi indulgentias postulavit. Nimirum ut subditi omnes Catholici, Philippi Patris spiritum à Deo illi impetrarent.

Monitum. *Vnus atque idem est Principum Austriacorum animus, colere Ecclesiam, illi vivere, servire, regnare.*

CAPVT

CAPVT VI.

De Abstinentia.

VBi minimum virium sibi Gula Venusque vendicant, ibi regnum æterno in gradu facilè consistit. Ideò nihil illis Principes Austriaci tribuerunt, ut regnum tum in se inprimis, tum in subditos retinerent. Commemoremus eos, & suâ laude coronemus.

Agmen mihi ducat, qui familiam, RVDOLPHVS I. IMP. Hic bello adversus Octocarum Bohemiæ Regem cum castra ejus omnium rerum inopiâ, potissimum potus, laborarent, Milites Colono, qui fortè collegis messoribus siceram hauserat, hydriam abstulerunt, Imperatorique obtulerunt. Eâ visâ Imperator, *Reddite*, inquit, *homini vasculum, Ego enim non mihi, sed exercitui sitio.* Ita exercitum suo exemplo ad sitim fortiter tolerandam permovit. I. *An. Silvius lib. 3.*

Alias in bello Burgundico, ut milites suos abstinentiam frugalitatemque doceret, cum annona deesset, evulsas ex agris rapas inspectante toto exercitu comedit, &, ut milites idem facerent, adhortatus est. Fecerunt, & pacem cum fame habuerunt.

Monitum. *Nihil durum aut acerbum militi est, quod Rex ipse patitur.*

II. Abstinentiam, tanquam Numen propemodum, FREDERICVS III. Cæsar coluit. In cœna vinum habebat aquâ temperatum; extra cœnâ nunquam. Leonoræ Augustæ ejus Conjugi, quæ paternâ in domo vinum nunquam gustarat, suadebant Medici, ut in Germania Regione frigidâ, si Mater esse vellet, vino uteretur. Quod ubi Cæsar intellexit, accersito ad se Æneâ Sylvio, *Abi*, inquit, *& Imperatrici renunciato, malle me sterilem Conjugem, quàm vinosam; proinde si me amat, vinum oderit.* Ad hoc Leonora. *Etsi viri mandatis tam libenter pareo, quàm vivo, si tamen vini usum mandaverit, mori potius optaverim, quàm parere.*

Idem.

III. MAXIMILIANVS I. IMP. Raró inter prandia, in cœna, ut plurimum, ter bibebat. Hanc causam Medici fuisse dixerunt, quod valetudo illi ad extremam usq; vitæ periodum firma

firma ſemper & proſpera fuerit. Certâ ſtatâque horâ prandium ſumebat. Conjux illi erat Maria Caroli Audacis Burgundiæ Belgarumque Ducis Filia, quàm ita tenero proſecutus amore fuit, ut poſt ejus obitum meminiſſe illius ſine lachrymis non poſſet. Imò quoties quiſpiam ejus mentionem excitabat, ultrò lachrymæ excidebant. P. Heuter. Cuſpian. aliique.

IV. Digna verò, CAROLI V. frugalitas abſtinentiaque, quam in exemplum Principes accipiant. Nunquam illi menſa exquiſitiſſimis cibis ſtrata, niſi Princeps quiſpiam, aut Rex conviva eſſet, vel res aliqua ceremonijs ſolemnioribus peragenda. Nunquam odores incendebantur, nunquam ſupellex præter modum lauta; prandebat & cœnabat ſolus ſummo in ſilentio publicè, circumſtante Procerum Nobiliumque coronâ. Adeò convivia illi erant ſine conviva ferè ſemper; obvijs potius, quàm arte paratis cibis delectabatur; & illi cibus potuſque ad certas quaſi uncias conſtabat; etſi menſa ad Majeſtatem Regia eſſet. Vino modico, ſed præſtanti utebatur. P. Heuter.

Cum Auguſtæ Vindelicorum fortaſſis in prandio bubulam carnem aceto ſaleque conditam avidè comediſſet, rogavit

Ferdinandus Frater, cur ejus palato tam dura caro arrideret, quam ſtomachus concoquere facilè non poſſet? Nihil Imperator, aliud tum animo agitans, reſpondit. Cùm autem cauſam iterum inquireret Ferdinandus urgeretque, *Nondum*, inquit, *tantum otij à curis perpetuis mihi fuit, ut vel inquirere vel diſcere cauſam ejuſmodi poſſem.*

Cùm aliquando quidam è Pannonia Regulus ei diceret, tot negotiorum, quibus diſtrahebatur, molem, copioſiorem victum exigere, nonnullos mediocris fortunæ homines eſſe, qui Magnates ſuis convivijs æquarent, aut etiam plerumque ſuperarent, *Vulgarium*, ait, *& Helluonum hoc eſt. Ego vel idcircò tot moleſtias ſuſtinere poſſum, quia de ventre minimè ſollicitus ſum. Scio non paucos infimæ conditionis eſſe, qui liberius vivant, ſed cum ita præpotenti Deo ſit viſum, ut orbis Chriſtiani negotiorum molem ſuſtineam, id onus tanquam ſingulare beneficium duco, maloque utiliter interdum, etſi incommodè pati, quàm vulgi more abuti tempore.*

Monitum. *Non ut lautè vivant Principes regnant, ſed ut benè regnent vivere frugaliter debent.*

V. FERDINANDI I. Imperatoris tanta ſobrietas temperantiaq; fuit, ut nemo unquam ebrium

ebrium illum aut liberalius potum viderit. Ea conſtans de illo fama. Imitatus Carolum Fratrem ſolus prandebat cœnabatque, & quidem ſine ciborum apparatu aut pompâ; ut nimirum cauſis cognoſcendis conſultationibuſque juſtum tribuere tempus poſſet. Audiebat familiariter in menſa doctorum virorum ſermones, dum illi aut de rerum natura, aut de moribus, aut de Regum actionibus diſſererent. Sciſcitabatur ipſe plerumque, nec rarò ſuam etiam ſententiam pronuntiabat. Intermiſcebat nonnunquam Ethica quædam apohthegmata, ſed ingeniosè excogitata, quibus mirificè delectabatur. *Ex eius vita*

Quodam tempore cum Electorum Principumque in Comitijs Legati negligentius Imperij cauſas tractarent, ac crapulæ tantum ebrietatique operam darent, *Mementote*, inquit, *non idcircò vos ad hæc Comitia miſſos, ut ebrietati vacetis, ſed ut conſultando Imperij negotia tractetis. Abſtinete igitur ab inſana ebrietate, quæ & corpori & animæ officit; quod veſtri officij eſt, hoc agite.* Bene & meritò Imperator.

Sobrij hominis eſt rectè conſulere, ebrioſi vel nihil in conſilio capiendo cernere, vel tantum inſanire. **Monitum.**

Solebat

Solebat ad Imperij Comitia proficiscens Conjugem Imperatricem ejusque Gynecæum unà deducere, quod cum minus rectè fieri Nobiles è Familia Cæsarea quidam, propter sumptuum magnitudinem, existimarent, *Honesti Principis est*, inquit, *castè in conjugio vivere; constatque plura in vetitas libidines profundi, quàm in honestæ conjugalis vitæ sumptus.*

VI. Quis non RVDOLPHI II. Convivia deliciasq; miretur? Ter in prandio, ter in cœna dumtaxat bibebat; ferculo tantum uno & altero, nec opiparè parato, contentus erat. Vervecinâ suillâque carne potissimum oblectabatur. Tantus Cæsar tam abstinens erat, *Miretur Posteritas tam pacificè eum regnavisse, qui tam parcè sobrièque vivebat.*

Ex Orat. funeb.

Monitum.

VII. Pari laude MAXIMILIANVS II. Imperator censendus est, cujus singularem in victu temperantiam sobrietatemque cum imitari Nobiles Aulici non possent, attamen nunquam satis extollebant. Certâ horâ, nec eâ unquam mutatâ, prandium sumebat: extra mensam nihil omninò gustabat. In tanta sobrietate summa morum elegantia conspiciebatur, nec eo quisquam fuit aut humanior, aut affabilior.

Ex ijsdem.

Hilario-

Hilariorem facit sobrietas, morosiorem ebrietas Monitum

At verò ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps cibi potusque intemperantiam ne noverat quidem; pro veneno deputabat, & oderat ut hostem. Præclara illa vox ejus, *Turpe esse, eum, qui Reipublicæ præsit, propter cibi potusque multitudinem, aut hebescere judicio, aut memoria labi.* Rarò proinde & modico cibo vinoque utebatur; ab ebrietate & conviviorum luxu abhorrebat. VIII. Scribani in Polit. Christi.

Fuit idem castissimi pudoris decus, & integerrimam conjugij fidem cum ISABELLA, CLARA, EVGENIA ita Sanctè servavit, ut nemo unquam adeò natura moribusque depravatus fuerit, qui vel sinistram habere, vel effutire suspicionem auderet.

Castus Princeps dilitium Divorum hominumque, sobrius Princeps Reip. semper utilis. Monitum.

Nulla in FERDINANDO II. Cæsare desiderari Virtus potuit. Omnes animo suo complectebatur. IX.

Abstinentiam ita coluit, ut vulgari etiam cibo potuque, dum accumberet, contentus esset. Quicquid apponebatur gratum erat; de condimento nulla unquam ab eo querela. Quasi sine gustu esset, nihil delitiarum ap-

petebat & suspectam habebat omnem voluptatem. Seipsum enim superare magis, quam appetitui gratificari malebat. Incendi odores suavè olentes in conclavibus suis non permittebat; id si alibi fortè in hospitijs factum, ut difflarentur, fenestras portasque aperiri jubebat. Admittebat tamen musicum inter epulas concentum, seu æger, seu sanus esset. Quippe ex eo vires instaurari sentiebat, optabatque audire potius, quam loqui. Somno tantum indulgebat; quantum natura exigebat. *Hac quoque in re modum servandum esse dicebat; nec somno dandum, quod Reipublicæ negotijs deberetur.*

G. Lamormainus.

Monitum. *Qui vigilans est Princeps, aliquando imperabit.*

X. FREDERICVS. Pulcher IMP. Non tam à corporis venustate, quàm à virtutis pulchritudine cognomen accepit. Et verè dici de illo potuit, *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.* Tam abstinens erat, ut sine cibo potuque vivere velle videretur, deliciarum hostis & voluptatum. Sed par illi conjux Aragoniæ Regis Filia fuit Elizabetha, quæ, ut erat Mariti amantissima, ita nihil unquam omisit, quod ad ejus salutem spectaret. Et verò postquam à Ludovico Bavaro

captus

captus Fredericus fuit, adeò se jejunijs & inaudita abstinentia maceravit, ut oculos fere & visum amiserit. Interdiu noctuque in lachrymas incubuit, donec liberum Cæsarem & maritum recepit.

Gloriosius est virtutum conjugium, quàm corporum. *Monitum.*

CAPVT VIII.

De Continentia seu Castitate & Pudore.

1. Carolvs V. Imp. | 3. Maximilianvs I. Imp.
2. Ferdinandvs II. Imp. | 4. Albertvs Pivs Prin. Bel.

Genialem Augustissimæ Gentis Austriacæ thorum continuá statione Castitas Continentiáque celebravit, innatus pudor servavit. Non ignoraverunt hujus Gentis Principes magnum Regnorum firmamentum ornamentumque pudicitiam esse, luxuriam verò eorumdem exitium. Multa quippe Imperia dominantium libidine eversa sunt, & cum ferre subditi sævitiam aliquã in regnantibus possint, oderunt eorum libidinem, & si se in aliorum thoros effundat, non tolerant. Conspicuos hac virtute in Austriaca Familia consideremus.

Laudaret Carolvm V. Imperatorem I.
Castitas ipsa, si loqui posset. Is enim castissimi

pudoris decus fidemque conjugalem, constante cum Elisabeta Lusitanica matrimonio, ita religiosè servavit, ut nulla unquam sinistra de ejus castitate suspicio fuerit. Sæpè ipse Cæsareis manibus conclavis Regij fenestras occlusit, ne formosiores fortasse feminas, quas è minus adventantes conspiciebat, aut transituras intelligebat, intueretur. Adulteria & libidinum turpitudines toto pectore execrabatur. Vnde cum audivisset bello Germanico Farnesium copiarum Pontificiarum Ducem ingenuas aliquot matronas constuprasse, vehementer inardescens & dextram gladij capulo admovens, *Si adesset*, inquit, *Impurus ille, hac ipsum manu confoderem. Eum mox bello nondum confecto castris excedere, & in Italiam redire jussit.*

P. Heuter.

Victricia castra esse non possunt, quæ libidine sunt polluta.

Monitum.

Cùm iter per Galliam ex Hispania haberet, Regisque jussu ubique splendore Regio exciperetur, contigit quadam in Arce, ut in cubiculum, in quo paratus Cæsaris lectus, Nobilis & singulari venustate insignis puella adducta esset. Quàm ubi Carolus vesperi trementem gementemque reperit, *Quæ tu*, inquit, *ô Puella, unde? & quomodo in hunc locum*

locum pervenisti? Illa collecto inter fluentes ubertim lachrymas animo, invitam se, & invitis plorantibusque Parentibus illuc abductam esse, respondit. Quod ubi intellexit Cæsar, intactam quamprimum Parentibus remisit, ac quadriennio post, cùm bellum exortum esset, arcem illam destruxit.

Quid, quod aliquando dicebat, nunquam se uxorem ducturum fuisse, si tam fæcundum Fratrem suum Ferdinandum futurum fuisse scivisset?

Macte isto animo, Carole, vel idcircò maximus fuisti, quod ultro libidinem vicisti.

Magni erunt, quicunque vincent, infames, qui admittent. Monitum.

Age verò FERDINANDE II. Cæsar, cum omnis virtus tibi gloriam aliquam, tum pudicitia maximam comparavit. Nemo unquam te vidit in fæminæ vultum oculos defigentem; nec ulla, quanquam præstantissima, venustas, attraxisset. Castitatem longè pulcherrimum hominis decus esse credebas. Cum tibi oblatâ excellentissimæ formæ puellâ Aulicus quidam perfrictæ nimium frontis viam ad impudica monstraret, & opem operamque suam polliceretur, etsi juvenis adhuc esses, II.

Guiel. Lamormianus.

 Aulâ

Aulâ, excedere jussisti. Oderas quippe devota ista Veneri mancipia. Cùm Rex, imò cùm Cæsar esses, si quæ tuum alloquium fæmina, quanquam Princeps, ambiret, nunquam tamen sine arbitris, aut in publico Aulâ inspectante, audita fuit. Stetisti eodem mentis rigore, quamdiu vixisti; & integerrima conjugalis castimoniæ fides tecum stetit. Audebat Augusta Conjux tua affirmare, quod si cùm puella in thoro deprehendereris, nefas esset credere te ullam pudicitiæ tuæ labem inussisse. Noverat ita obfirmatum animum tuum, ut nulla, etiam vicina, machina eum moveret, multò minus convelleret. Nullum unquam verbum ex ore tuo, nisi purissimum excidit, ac nemo etiam, quod libidinem oleret, proferre coram te est ausus. Histrionibus mandabas, ut in scena pudoris & verecundiæ nunquam obliviscerentur. Adversus adulteria fœdasque libidines implacabilis eras, atque idcircò, qui rei tantorum criminum deferebantur, exilium, quàm iram tuam, experiri malebant. Cedebant ultrò & solum vertebant.

Monitum. *Pudicitiam in Majestatis Solio servare hoc demum est in clarissima luce imperare.*

Audebo

Audebo dicere, nullius unquam virginis tantum pudorem fuisse, quantus MAXIMILIANI I. Cæsaris olim fuit. Mortalium omnium verecundissimus erat, & hæc verecundia pudorque custos castitatis extitit. Nemo nudum unquam, nemo detectum vidit. Subducebat se, cum natura corporis purgationem exigeret; Soli Medici, cum morbo detineretur, urinam ejus viderunt. Ad lectum iturus Cubicularios non admittebat, ipse seipsum exuebat, & in thoro collocabat. Adeò nulla Virgo tam teneri pudoris fuit. Moriturus, ut mox sibi subligaculum indueretur, præcepit. Nimirum ne ulla corporis pars, quàm verecundia obvelat, à quoquam conspiceretur. Cavit etiam testamento ne mortuo sibi caligæ feminaliaque inducerentur. Tanta tunc pudoris cura erat, cum jam non esset. III. P. Heuter.

Vbi pudor est, ibi castitas; prostitutus pudor libidini fenestram aperit. Monitum.

Dicerem MAXIMILIANVM Cæsarem tanti pudoris laudem solum retulisse, nisi cum eo ALBERTVS PIVS in nostro Belgio certaret. Dicebat ipse, *Tam Sancti Viri esse suffundi, si Virginem vidisset, quam Sanctæ Virginis,* IV.

si à viro

si à viro visa esset. Nullum minus castum verbum os ejus unquam protulit, nulla aliena oculi ejus usurparunt. In omni fortuna cor illi stabat, sed non stabat, si fors verbum non castum audiret, aut non casta videret. Verebatur semper, ne quid de castimonia delibaret. Satis erat ad repulsam, si quis munus aliquod apud eũ ambiret, & castus non audiret. Reliqua etsi summa, non æstimabat. Qui solâ, licet subobscurâ suspicione, reus videbatur, spe muneris excidebat. Ita Ecclesiæ Reipublicæq; prospiciebat, ut si quam de cujusquam turpitudine suspicionem intelligeret, nunquam ad officium ullum admitteret.

Scribanius in politico Christiano.

Qui cæteris præesse debent, non culpâ tantum, sed culpæ etiam suspicione carere debent.

Monitum.

V. Alium ALBERTVM subjungo, primum ejus nominis Imperatorem. Amare se dicebat ac venerari tria potissimum hominum genera, fæminas pudicitiâ claras illustresq; Ecclesiasticos Pios & Religiosos; Milites strenuos & fortes. Lascivorum hominum contubernia semper evitabat, & cum uxorem unicè diligeret, conjugalem castitatem perpetuò servavit. Pauca dixi, sed magnam laudem.

Cuspianus in eius vita.

Regium est impuræ voluptati non servire.

Monitum.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Conversatione cum Viris doctis.

1. MAXIMILIANVS I. Imp.
2. CAROLVS V. Imp.
3. FERDINANDVS I. Imp.
4. MAXIMILIANVS II. Imp.
5. RVDOLPHVS II. Imp.
6. FERDINANDVS II. Imp.

QVales ij sunt, qui cum Principibus versantur, tales & ipsi Principes æstimantur. Austriacæ Familiæ Principes Viros doctrinâ claros & amaverunt semper, & eorum consortio sunt delectati. Nimirum quos natura alijs voluit antecellere, hos suo dignos amore judicarunt. Hoc est scientiam magnifacere, & Litteratos honorare, quorum patrocinium, quicunque unquam magni Heroes, avidissimè susceperunt. Nec sanè sine fructu. Quippe assidua cum Excellentibus ingenio eruditioneque Viris conversatio parit eruditionem. Aliquos igitur producamus.

MAXIMILIANVS I. IMPERATOR verè alter suâ ætate Augustus, nullos amore majori, quàm doctos, complectebatur, & patere illis, ut Aulam suam, ita animum volebat. Patronum eorum dici maximo sibi honori ducebat. Dicere etiam palam solebat, I.

H Eos se

Eos se amare æstimaréque, quos Deus alijs voluisset antecellere. Colebat Ioannem Cuspinianum, Ioannem Nauclerum, Conrardum Peutingerum, Iacobum Manlium, Ladislaum Sunthemium Historiæ Scriptores. Ex Mathematicis Medicisque Georgium Collinitium, Ioannem Vogelinum, Ioannem Stabium. Nec colebat tantū, verum etiã ad ingenia studiaq; excolenda ipse adhortabatur ac præmijs excitabat. Eorum se discipulum & amicum profitebatur, scripta lucubrationesque suas eorum judicio submittebat, consilia de Imperij negotijs exquirebat, quod statuendum pro publico bono videbatur, cum ijs communicabat. Demum quicquid otij nanciscebatur, ijs dabat, & Majestatem suam audiendo libenter inclinabat.

Monitum. *Hoc nimirum est sapere, Sapientes libenter & sæpè audire.*

II. CAROLVM V. Cæsarem quanquam Regnorum & Imperij magnitudo, quæ in tenerum adhuc adolescentem incubuit, citius, quàm oportuisset, à studijs bonarum artium abduxerit, earum tamen amorem non amisit, nec erga Litteratos reverentiam excussit. Vnde cū Genuæ Oratorē latinū facundissimè dicen-

dicentem audiret, nec ſatis intelligeret, ingenuè confeſſus, *Iam ego*, inquit, *puerilis incuriæ meæ do pœnas, & praſagum Adrianum Præceptorem meum, qui hanc mihi pœnitentiam prædixit, agnoſco.* Egit verò, quamdiu vixit, libenter cum Viris eruditis, quos & admirabatur cum amore, & ad Eccleſiæ Reipublicæque officia cum honore promovebat. Cum Hiſtoricis potiſſimum oblectaretur, ac illi ferè ſemper Thucydides in manibus eſſet, quem Gallicam in linguam Claudius Maſſilienſis Antiſtes ejus rogatu verterat, tum de ejus politicis axiomatibus ſæpiſſimè cum doctiſſimis viris ſibi à conſilijs conferebat, eorum ſententiam exquirebat, ſuam ipſe etiam proferebat. Imò cum prudenriſſimum Authorem iſtum quotidiè legeret, ut idem Conſiliarij facerent, adhortabatur. Cùm de re ardua capiendum conſilium eſſet, doctis deliberantium diſſertationibus vehementer capiebatur, & nonnunquam dimiſſo Concilio repeti apud ſe jubebat. Dicere frequenter ſolebat, *Ea conſilia quæ à Viris doctrinâ præſtantibus, rerumque, de quibus conſultaretur, gnaris procederent, non poſſe non utilia videri.*

Vt in Sole paulatim homines nigreſcunt, ita in Erudi- *Monitum.*

torum consortio sensim doctrinam acquirunt.

De amore FERDINANDI I. IMP. in viros summo ingenio & præstanti eruditione præditos nemo dubitabit. Hos à latere suo vix unquam dimittebat. Ne quis dubitaret, insignibus suis librum appingi curavit, ut litterarum & litteratorum patrocinium sibi esse commendatum ostenderet. Idcircò in ejus Aula non pauciores eruditi viri, quàm Nobiles, omni tempore fuerunt. *Ad Majestatis suæ æstimationem, non minus illos, quàm hos esse,* dicebat. Et verò etiam plus se emolumenti ab illis habere fatebatur, ideòque singulari clementiâ magnificentiâque ornabat.

Scriptores rerum Germanarum.

III. Sequitur memorabilis exempli RVDOLPHVS II. IMP. Qui tanti Viros eruditione claros æstimavit, ut quicunque eâ alibi præstantes essent, ipse in Aulam suam evocaret, & summo in honore haberet. Sæpè Ioannem Bravitium à secretis mediâ nocte accersiri ad se jubebat, & de arduis Imperij negotijs cum eo conferebat. Nonnunquam Mathematicos suos noctu quoque vocabat, ut cum ijs de Astronomicis rebus ageret. Erant tum in ea disciplina præcipui Tycho Brahe, & Ioannes Keplerus. Alios, si qui essent,

Iidem.

essent, litterarum cognitione præstantes & amabat, & honorabat.

Digni ambo Principes, qui imperarent, quod sine doctorum auxilio imperare se non posse judicarent. Monitum.

Sed ambos MAXIMILIANVS II. Cæsar superavit, qui non tam Aulam, quàm quandam in Aula Academiam habuit. In ea quippe Politici, Historici, Mathematici, Oratores, Medici, Poëtæ, quos amare parum esse ducebat, nisi etiam honore affecisset. Et quoniam eorum artes florere in Viennensi Gymnasio magna cum laude sciebat, ideò Vrbem illam frequentius incolebat. Quotidie cum his, aut illis negotium illi erat, nec otium esse cum illis conversari, sed negotium existimabat. V. *Ex funeb. Orat.*

Macte Maximiliane, pacis artes colendo, pacem Imperio dedisti. Monitum.

De te verò quid dicam FERDINANDE II. Doctos amabas, nemo ignorat; sed quibus vitæ morumque integritas adhæreret. Libenter eorum operâ utebaris, fatentur omnes; quia sine doctrina nihil rectè fieri credebas. Eos vel ad honorifica munera, vel ad opima sacerdotia promovebas; quid justius, quàm dignissimos ad Ecclesiæ vel Reipublicæ officia VI. *Guilielmus Lamorm.*

admovere? Duo tibi hominum genera in consortio placebant, boni & docti; ab illis pietatem, ab his doctrinam hauriebas, ab utrisque regnandi prudentiam. Quippe Regnorum sunt fulcra, probitas & sapientia. Fuit in eo, quod omnes extollent Academiæ. Siquidem Comitum aut Baronum Filios, quos honore aliquo Academico ornatos intelligebat, aut aureo monili decorabat, aut in numerum Cubiculariorum adlegebat. Imò in conferendis Reipublicæ officijs eos cæteris omnibus præferebat, quos Academia aliquo honore donavisset, vel quos doctrinâ excellere compertum haberet. Adeò nec ætas, nec obsequiorum diuturnitas prævalebat, ubi doctrinę testimoniũ Academiarũ judicio ostendebatur. Nobilitati par doctrina, sæpius pluris apud eum æstimabatur.

Monitum. *Ferdinandus sine doctis Viris vivere, promovere non nisi doctos, vix poterat. Nec posse debent alij Principes.*

CAPVT

CAPVT IX.

De Eruditis & Eloquentibus Principibus.

1. MAXIMILIANVS I. Imp.
2. CAROLVS V. Imp.
3. FERDINANDVS I. Imp.
4. FREDERICVS III. Imp.
5. RVDOLPHVS II. Imp.
6. MAXIMILIANVS II. Imp.
7. PHILIPPVS Archid. Aust.
8. FREDERICVS III. Imp.

DOctrinâ clari Principes ornamenta sunt orbis terrarum, nec fulgentius ullum est lumen, quàm in Majestatis fastigio resplendens eruditio. Beatæ quoque ac felices sunt Respublicæ, quos Eruditi Principes regunt. Et verò potissimum est gubernandi instrumentum facundia, quæ ex ore regnantis efflorescit. Equidem splendidissimum est Majestatis decus in augusto vertice diadema, sed tum nimirum, cum doctrinam simul coronat. Hanc in Principibus Austriacis coronavit

Inprimis in MAXIMILIANO I. Cæsare, cujus tanta eloquentia fuit, ut illam satis admirari exteri non possent. Loquebatur non Teutonicè tantum, Gallicè, Italicè, verum etiam Latinè eleganter, & copiosè. Id fassi sunt Regum aliorum Oratores, adeóque ipsi Electores & Imperij Principes, qui disertissimas

P. Heuter. Cuſpinan. alÿque.

tiſſimas ejus Orationes frequenter in Comitijs de rebus arduis audiverunt laudaveruntq; Valebat equidem in eo plurimum natura, ſed tamen etjam ex arte dicebat agebatque.

Tantæ eloquentiæ fundamentum ſumma fuit in eo doctrina. Quippe nulla res erat hominis ingenio digna cognitioneque, in quam animum non intenderet; nulla ferè ars, in quam non doctiſſimè commentaretur. Commentarios rerum à ſe geſtarum ſtylo terſo & eleganti ſcripſit; item de quorundam animalium ingenio. Vnde conſtat arcanas quaſdam naturæ cauſas penitus illi cognitas & perſpectas fuiſſe. Taceo opuſcula quædam, quæ Germanicè luſit. Cùm ex urbe Lynda Conſtantiam navigaret, nactus otium, res uno anno geſtas Scribæ ſuo pulcherrimo ordine & explicatis circumſtantijs omnibus dictavit, ut ex hoc velut compendio materiam Hiſtorici deſumerent. At nemo poſt ejus obitum conſequi potuit. Differebat de ſyderum motibus, de rerum naturalium cauſis, de geſtis Regum aliorum, quæ apud Hiſtoricos legerat, cum omnium admiratione. Quis non miretur tam facundum fuiſſe, qui ab in-

ab Infantia ad annum usque ætatis undecimum penè mutus & elinguis fuerat visus?

Multa scire debent, quorum Doctrina alijs est profutura. Monitum.

Non asseram multam in CAROLO V. Imperatore litterarum peritiam, qui regnare penè prius debuit, quàm scientias comparare. Sed inter regnandi negotia, quod ætas non acquisiverat, lectione & experientiâ compensavit. Hæc verò rerum est Magistra. Legebat assiduè Germanici & Hispanici Imperij historias; addebat & veterum omnis ævi Monarcharum res gestas, ut nihil ignoraret, qui Imperij & tot Regnorum molem sustinebat. II. Heuterus Zenocarus & alij

Callebat linguas, Germanicam, Gallicam Hispanicam, Belgicam, Italicam, diserteque loquebatur. In latinâ titubabat. Sed res ab eo præclarè gestæ doctrinam prudentiamque non vulgarem arguerunt. Ingenio excelso naturæque dotibus planè eximijs præditus esse debuit, qui sic imperavit.

Regnando Reges, quod discendo alij, acquirunt.

FERDINANDVS I. Caroli Frater Latini sermonis peritus erat, & eo libenter utebatur.

Erasmi libellum de Principis institutione ferè semper in manibus habebat; & illi de ejus editione gratias egit. Ciceronis de officijs præcepta ab ineunte ætate sibi tradita explicataque toto vitæ tempore familiariter coluit, & gravissimas ex ijs sententias in Procerum Concilio recitavit. Studium historiarum admodum dilexit, easque inter prandendum prælegi sibi curavit. Imò non exiguis sumptibus plures in lucem Historicos produxit, ut sibi & toti orbi consuleret. Quodam tempore cum inter venandum porrectus illi libellorum supplicum fasciculus esset, huncque venationis præfecto, ut quod in ijs continebatur, compendio repræsentaret, tradidisset, ille verò facere se posse negaret; *sinite ergò*, inquit, *eos me alere, qui sciant & possint.*

Ex eius Panegyrico.

Monitum.

IV. Quasi deceret Romanorum Imperatores Romano idiomate uti, FREDERICVS III. Imperator ferè semper & libenter latinum sermonem usurpabat. Poëticam & Oratoriam non æstimabat, quod disciplinis, quæ ad regnandi peritiam spectarent, ferè solis applicaret animum. Dicebat, *aliorum esse dicere, Regum & Principum facere.* Jurisperitos non admodum dilexit, ab ijs enim juris æquitatem

Cuspianus alijque.

inverti

inverti aut involvi credebat. Proinde in justitiæ administratione ex æquitate jureque naturæ plurima definiebat. Ob id etiam novum de Feudis librum conscribi jussit, in quo miro ordine in seriem longè pulcherrimam omnia reduxit. Interim, ut erat virorum eruditorum amantissimus, ita ipse doctissimus. Cùm autem plerumq; viri Principes morionibus ad oblectationem uti solant, dicere solebat, *Stultis se nequaquam delectari posse, aut superbis amicum esse*, nec tales ad Aulam suam admittebat.

Regibus sapiendum est utiliter, non ad oblectationem. *Monitum.*

Quanta RVDOLPHI II. Cæsaris doctrina fuerit, data ex tempore Legatis ad eum missis responsa declararunt. Nihil sapientius prudentiusvè dici potuisse Legati ipsi fatebantur. Cùm aliquando Poloniæ Regis Legatus coram eo longissimam & per multa capita distributam orationem pronuntiavisset, ut erat non minus doctrinâ, quàm sanguine vir illustris, Cæsar Latino illi sermone, eoque ornatissimo, ita respondit, ut eundem capitum & rerum ordinem, quem ille tenuerat, observaret. Quod cùm audivisset Iulius Dux V.

Brunſwicenſis, Princeps verè doctus & facundus, apud alios poſtea Imperij Proceres non ſemel confeſſus eſt, *nunquam ſe crediturum fuiſſe tantam in Rudolpho Cæſare dicendi pariter & ſapiendi vim eſſe, niſi ipſe præſens audiviſſet.* Amplius verò, cùm antea nullas adverſus Turcas ſuppetias dare vellet, poſtquam ejus doctrinam & eloquentiam cognovit, plura deinceps auxilia præſtitit, quàm aut expoſceret Rudolphus, aut ipſe jure deberet.

Ex eius vita & Orat. funeb.

In Aſtronomia vix ulli ceſſit & extant tabulæ Aſtronomicæ ab eo conſcriptæ. In Viennenſi etiam Biblioteca Volumen latinarum Epiſtolarum ejus manu exaratum aſſervatur. Linguas, Hiſpanicam, Gallicam, Italicam, Bohemicam accuratè calluit.

Monitum. *Tam pacificum ejus tempore Imperium tanta doctrina reddidit.*

VI. Sed & MAXIMILIANVS II. IMP. Ne quid ignoraret, omnes intelligebat, Germanos, Italos, Hiſpanos, Gallos, Belgas, Bohemos, Pannones, quarum linguas hauſiſſe à natura videbatur. Latinam non noverat tantum, ſed illa terſa, pura, elegans ex ore ejus profluebat. Temporis aliquantulum quieti & hortorum inſpectioni tribuebat, pluriinum

plurimum disciplinarum omnium studijs. Et quidem ante Cœnam deliberationibus vacabat, vel litteras de responsis antea decretis rursum audiebat.

Monitum.

Nihil illo accuratius, ne quid Majestate non dignum videretur.

VII.

MAXIMILIANVM Patrem non imitatus tantum, sed æmulatus est Filius PHILLIPPVS Austriæ Archidux, in quo litteræ omnes & bonæ Artes fuerunt. Hauserat illas sub Francisco Buslidio Luxemburgensi, quo puer & Adolescens usus est Præceptore. Nec illas tantum, sed & virtutes, quarum ornamentis ita excultus animus ejus fuit, ut dubitarent homines meliorne esset an doctior. Erat insuper tantâ morum suavitate, ut pæne ad se omues pelliceret. Et poterat sanè cum omnibus loqui agereque, qui diversas septem linguas, quemadmodum Cæsar Parens, didicerat. Et verò quod admirabantnr universi, in omnibus facundissimus erat. Hujus tantæ eruditionis & virtutum ejus fama ita creverat apud omnes, ut istâ ætate Principum decus & suæ Gentis maximum ornamentum crederetur.

Ex Panegyrico eiusdem.

Monitum.

Princeps pluribus & diversis imperans populis, plures & diversas novisse linguas debet, ne illi turpè sit regere

eos, quibus loqui non possit.

VIII. Majus mihi nunc admirationis exemplum restat in FERDINANDO III. cujus in Cæsareo throno Majestas hodie Imperium illustrat. Nihil ignorare videtur, qui omnia didicit. In omnes Philosophiæ partes ingenium intulit, &, quâ est memoriæ firmitate, omnia comprehendit. Nihil in liberalium Artium studijs eum latet; singulas magnâ ingenij felicitate, facilitateque Adolescens arripuit. Hic & Philosophiæ suæ omne aliud doctrinæ genus adjunxit, ut qui natus erat ad homines gubernandos, omnibus sapientiæ subsidijs niteretur.

Ex memorijs Imp.

Discant Principes Regesque, nullibi melius, quàm in Aula Regioque Solio sapientiam apparere. Docuit exemplo suo Ferdinandus.

Monitum.

CAPVT

CAPVT X.

De Indole.

1. RVDOLPHVS I. Imp.
2. MAXIMILIANVS I. Imp.
3. CAROLVS V. Imp.
4. MAXIMILIANVS II. Imp.
5. LADISLAVS Rex Bohem.

INdolem nunc, elementum virtutis, attingam. Principes ad Sceptra nati Indole suâ frequenter se produnt, & quibusdam ab ineunte ætate signis futurum claritatem suam hominibus ostendunt. Sunt nimirum velut flores quidam, qui de fructibus postea venturis spem non incertam faciunt. Experimentum ab indole captum sæpè magnum est exspectandæ virtutis argumentum. Hoc quoque consideremus.

Cùm è pueritia vix excessisset RVDOLPHVS I, IMPERATOR, tanta virtutum indicia in eo eluxerunt, indolis magnæ signa, ut omnium hoc judicium esset, excelsos illi honores deberi, imò ad Imperij fastigium aliquando perventurum. Vnde cùm esset ipse in Aula Frederici Imperatoris, quidam ibidem Vir senex. Astrologiæ peritus, perpetuò illum in oculis habebat; & præ cæteris Nobilibus colebat. Rogatus cur id faceret ab Impera- 1. Ger. de Roo.

Imperatore. *Video*, inquit, *ô Imperator, Rudolphum hunc extinctis posteris tuis rerum aliquando potiturum.* Non id illi sydera ostendebãt, sed indoles. Nec eventus fefellit. Apparebat jam tum indoles ejus in augusti vultus motu, in incessus gravitate, in agendi dexteritate, in ludicris Nobilium certaminibus, unde laudem semper & victoriam referebat.

Monitum. *Quemadmodum ubicunque Sol est, ibi se per densas etiam nubes prodit, ita natus ad excelsa animus suam ubique nobilitatem exerit.*

II. MAXIMILIANI I. Cæsaris augustam indolem, & Imperio idoneam hæc signa ostenderunt. Cùm primum agere aliquid per ætatem potuit, armorum exercitium tantâ dexteritate arripuit, ut ijs tractandis æquales omnes anteiret. Nemo arcum citius tendebat, nemo scopum rectius feriebat, nemo sub armis celerius currebat. In equum expedito saltu insiliebat, omni armorum genere promptissimè dimicabat. Delectabatur machinis bellicis, eas aptissimè disponebat, & ne irriti ictus essent, quò volebat certissimè collimabat; Imò cum peritissimis ejusmodi machinarum artificibus frequenter non sine magna ipsorum admiratione certabat. Quis

P. Heuter. Gerard. de Roo.

æum ad militiam natum esse & ad armorum tractationem dubitavisset? Laudanda in Puero adhuc curiositas. Nam quæcunq; artificum opera in oculos ejus incidebant, eorum causas & effectus penitus inquirebat, & noscere volebat. Ac potissimum si quæ fortassis essent, quæ ad communem vitæ usum bello aut pace utilia viderentur. Acre in illo ingenium, discendi cupiditas summa, memoria eorum, quæ didicerat, tenacissima.

Tanti tamque egregij flores sine multis fructibus non fuerunt. **Monitum.**

Idem cum quinquennis adhuc Puer in Arce Viennensi cum Patre Matreq; ab Alberto Patruo obsideretur, & panem ex hordeo madefacto, ac tandem etiã ex furfuribus confectum edere cogeretur, raptum semel ex nutricis manibus ad Parentem Cæsarem detulit, conquestusque de coloris novitate & gustus insolentiâ, *Hic ne*, inquit *Panis est, ô Parens, quem tuus Filius edat? Castigã Nutricem, aut eyce, quæ suo Alumno eiusmodi offerre Panem est ausa.* **Idem.**

Qui se noverat tenerâ in ista ætate, alium se aliquando futurum præsagiebat. **Monitum.**

CAROLVS V. IMP. cum octo tantum esset annorum. Mechliniam ad Lucam Picto- III.

rem quendam, ut ejus effigies exprimeretur deductus fuit. Hic verò cum vix prima ducta essent lineamenta, in ea puer curiosè oculos assiduò intendebat, nec se aliò convertebat, nec commodè vultum, pro Pictoris voluntate, componebat. Quod ubi animadvertit morum ejus Præfectus, proximum ad parietem telum unum appendit. In illud mox puer oculos conjecit, & mirificè eo delectatus, sibi dare efflagitavit. Inde notum ejus ingenium, ad arma nimirum natum esse.

P. Heuter.

Monitum. *Quibus pueri delectantur, ad ea nati esse creduntur.*

IV. Regiam MAXIMILIANI II. mentem ostensa primis ætatis annis, justitiæ, veritatis, modestiæ, temperantiæque indicia abundè declararunt. Quæ ubi cognovit CAROLVS V. Cæsar, in familiaribus Principum congressibus dicebat. *Quod si Maximilianus inchoatum virtutis cursum, uti cœpit, tenuerit ursitque, is mihi Filij loco erit.* Tenuit ille ursitque, & Carolus sibi illum ex tot Europæ Principibus generum postea elegit. Quin imò ejus indole ita delectatus fuit, ut Comitia Augustæ anno supra millesimum quingentesimum quadragesimo septimo indicta Maximiliani oratione, priusquam

quam capita ad deliberandum porposita per Scribam prælegerentur, voluerit inchoari.

Quæ apparent in prima ætate virtutum semina, ferè semper in virili ætate efflorescunt, & fructum ferunt. Monitum.

Puerum nunc exhibeo, vel quasi infantem, LADISLAVM Alberti V. Bohemiæ Regis Filium. V.

Hunc cum Bohemi à FREDERICO III. Imperatore repeterent, ille teneram adhuc ætatem excusans produci tamen in medium jussit, & Bohemis videndum salutandumque exhiberi. Erat tum inter Nobiles istos Ioannes à Brandesio Giscra, Vir admodum bellicosus, qui pro Ladislao per ea tempora contra VVladislaum Polonum fortissimè sese gesserat. Hic ad salutationis officium accedens, ubi manum pueri Regis osculatus fuit, longam exorsus narrationem de periculis, in quæ se pro ejus capite conjecisset, disseruit, ac tandem, *Tu*, inquit, *mi Rex, quo animo hæc audis accipisque? Quâ mercede hanc operam tibi à me præstitam compensabis?* Puer nihil ad hæc respondens, astanti sibi Cæsaris Oeconomo sacculum, ex quo stipem dare solitus erat, clam, aut ipso fortasse

dissimulante, eripit, depromptosque inde sex nummos Ciscræ in volam ingerit. Egit ille gratias, & nummos istos palam omnibus ostentans, quantæ futurus aliquando liberalitatis Rex esset, deprædicabat.

Monitum. *Liberalitas in Puero Regio munificentiæ virilis est argumentum.*

FINIS.



NICO-

NICOLAI VERNULÆI VIRTUTUM AUGUSTISSIMÆ GENTIS AUSTRIACÆ.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Iustitia.

1. RUDOLPHUS I. Imp.	6. RUDOLPHUS I. Imp. iterum
2. MAXIMILIANUS I. Imp.	7. PHILIPPUS II. Hisp. Rex.
3. CAROLUS V. Imp.	8. ALBERTUS V. Arch. Aust.
4. MAXIMILIANUS II. Imp.	9. ALBERTUS Pius Bel. Prin.
5. FERDINANDUS I. Imp.	10. FERDINANDUS II. Imp.



Regibus Principibusque Iustitiæ curam inprimis flagitari, nemo dubitat. Ideò enim constituti sunt à Deo, & mortalibus dati; nec regi Respublicæ sine justitia possunt, nec conservari. In hujus ergò Sanctos recessus penetremus, ubi rationi cupiditas sese submittit, & solus æquitatis respectus religiosè versatur. Certissima, ut virtutum aliarum, ita hujus quoque exempla Austriaci dederunt.

I. RVDOLPHVS I. IMPERATOR, ut Iustitiæ studiosissimus, ita Latrones Prædonesque, quamdiu Imperium tenuit, punivit, ex Germania expulit, eorum domus & arces funditus evertit. Inde rigidus justitiæ administrator passim in Germania audiebat. Eo imperante quidam extitit Pseudo-Fredericus, qui se verum Fredericum ante annos duos & viginti mortuum assereret. Obsidebat tunc Colmariam Rudolphus, qui ubi certior factus, Impostorem illum magnas sibi vires, Nobiles, & Vrbes adjungere, solutâ obsidione prono Rheno descendit, ad illumque, quasi veterem Augustum veneraturus, accessit. Verum cum ab eo quæreret, quis esset, unde, quomodo in eum statum devenisset, hæreretque conscientiâ ipsâ perturbatus, flammis illum adjudicavit, & in Oppido VVitlarid jussit concremari.

Gerardus de Roo.

Monitum. *Omnium opes & vitam conservat, qui Prædones aufert.*

II. Tam justus MAXIMILIANVS I. IMP. fuit, quàm alieni Regni non cupidus. Cùm VVladisslaus Hungariæ Rex Regnum sine hærede relicturus videretur, quod sterilem Reginam omnes crederent nullâ hactenus editâ prole,

prole, nonnulli Regni Proceres quâ largitionibus, quâ pernitiosis factionibus ad Sceptrum purpuramque anhelabant. Quibus, ut spem præscinderet ambitionemq; cohiberet VVladislaus, Maximilianum in Hungariam tanquam futurum successorem accersivit. Verum cum in ipso rerum motu, præter omnium expectationem, natus esset tandem Filius; eum Cæsar coram Regni Proceribus hæredem agnovit, summâ pietate pronuntiavit, armatâ authoritate constituit confirmavitque, & mox cum exercitu ex Hungaria discessit. *Georgius Sauromãtus in Orat funeb.*

Magnus est, qui ambitionem cupiditatemqte comprimere in se potest, ne violato naturæ jure fiat injustus. *Monitum.*

Nec minus justitiâ celebris CAROLVS V. Cæsar, quàm armis fuit. Ita amabat justitiæ tribunalia, ut nonnunquam inter Flandriç Senatores jus dixerit. Sæpè etiam in Zelandiam Bataviamque profectus, ut subditis jus æquissimè administraretur, curas suas impendit. Qua de causa præsens ipse aliquoties Hagæ Comitis in Senatu comparuit. Et quidem cum translato in Philippum Filium Belgarum Imperio Belgis valediceret, fassus est, *Non semel se in jure dicendo graviter erravisse, nisi aut rudis adolescen-* III. *P. Heuter. lib. 14.*

adolescentiæ imperitiâ, aut alio humanæ imbecillitatis vitio deceptus fuisset. Hoc tamen, inquiebat, *audeo asseverare, nunquam me volentem scientemque subditorum cuiquam injuriam aut vim fecisse, vel fieri unquam permisisse. Quod si hac de re conqueri quispiam possit, inscio invitoque me evenisse testor profiteorque, ac mihi omninò displicere. Idcircò, ut mihi tum præsentes, tum absentes libenter condonent, ex animo rogo.*

Idem. Audita sæpius vox ejus fuit, *Quod si concederet Deus, ut iterum Francorum Regem captivum haberet, nihil aliud se ab illo desideraturum, quam Avorum suorum hæreditatem, Burgundiæ Ducatum summâ vi ac injuriâ ab eo occupatum. Germanis verò antiquam libertatem aucturum fuisse, si in majorum suorum Religione constantes permansissent. Hac de causa bellum se ijs movisse, & tot Principum conventus indixisse.*

Monitum. *Qui rapere nihil cupit, sed quod invenit retinere injustus esse non potest.*

IV. *Ex eius vita.* Persuaserat sibi MAXIMILIANVS II. IMP. justitiam primum apud Imperantes tenere locum debere, quod ex Salomonis Oraculo per justitiam solium firmetur. Ideò Spirense commune Imperij tribunal supremumque coluit semper, & sua authoritate protexit. Alij erant in omnibus Imperij Provincijs instituti à Parente ejus Iudicum Senatus, hos ipse confir-

confirmavit. Voluit etiam ut ubique essent severi pronuntiatarum à judicibus sententiarum executores, qui jus suum unicuique publicâ authoritate secundum judicum decreta redderent, utque ij Magistratuum & Principum ope juvarentur, ne justitiæ fraus aliqua fieret, aut justitiam vis major impediret.

Quippe magnum Imperium sine justitia magnum est latrocinium. *Monitum.*

Dicebat verò FERDINANDVS I. IMP. & pro Symbolo usurpabat, *Fiat justitia, aut pereat mundus.* Fecit ipse, quamdiu imperavit, & hoc modo Imperium conservavit. Tribunalia non alijs tantum committebat, sed ipse in judices inquirebat, & de officio responderi sibi volebat. V. *Idem.*

Qui à Regibus justitiam exigit Deus, *de Iudicibus ab ijsdem rationem exquiret.* *Monitum.*

Facit ingeniosa RVDOLPHI I. Cæsaris astutia, ut rursus ad eum stylum decurrat; astu enim veritatem judicaturus deprehendit, quæ ratione probari nequaquã potuisset. Erat Norimbergæ, & imperij negotijs intendebat, cùm ad eum mercator quidam accedens querelam de hospite detulit, apud quem bonâ fide sacculum cum ducentis argenti selibris, seu VI. *Lipsius in monitis Politicis.*

 marcis,

marcis, depoſuerat, ille verò impudenter negabat, & injurioſè retinebat. Cùm autem mercator, præter fidem & aſſeverationem, nihil aliud adferret, nam teſtes, ut ſolet in depoſito, defuerant, aſtu utendum Cæſar judicavit. Aderat tum fortè hoſpes cum Primarijs Vrbis Viris, qui gratulatum advenerant, ad quem converſus Cæſar, benignèque & facilè alloquens, *Heus*, inquit, *ſcitum pileum habes, ſi placet permutemus.* Ille pileum ſuum Cæſari donat, qui quaſi ad publicum negotium ſecedens, fidum ejuſdem Oppidi Civem ad hoſpitis uxorem cum pileo mittit, ut hoc ſigno ſacculum, cujus formam antea inſtructus, deſcripſerat, ipſa traderet. Tradidit illa ſacculum Civi, Civis Cæſari, quem cum mercator agnoviſſet, hoſpitem Cæſar vocat, ſacculum profert, oſtendit. Confunditur ille, animoque & linguâ ad aſpectum labitur. Fuit ea confuſio taciturnitaſque pro confeſſione. Ignominiam proinde hoſpes recipit, & grandi pecuniâ à Cæſare mulctatur. Laudatus hinc omnium ore Rudolphus.

Monitum. *Sagacitas aliquando in judicijs, plus quàm peritia juris valet.*

PHILIP-

PHILIPPVS II. Hiſpaniæ Rex ad Majeſtatis gravitatem juſtitiæ ſeveritatem adjunxit. Integerrimâ fide populis ſuis jus ſemper dixit, inviolatam legum authoritatem ſervavit, injuriam ab oppreſſis propulſavit, opprimentes mulctavit. Planè ſub ipſo juſtitiæ regnum erat, permittebatque judicio contra ſe certare unicuique, ſi quid à ſe repetere quiſpiam vellet. Vnde cum in Gueldria in ea lite, quæ illi cum Toparcha Anholtino erat, cauſâ cecidiſſet, nec exequi judicum ſententiam adverſus Regem quiſquam auderet, ipſemet quoſdam, qui exequerentur, deſignavit, & quod debebat, reſtituit. Quare cum ex hac vita diſceſſurus eſſet, & ultimum naturæ debitum ſoluturus, adſtantibus & audientibus Hiſpaniæ Principibus dixit, *Scientem ſe prudentemque, nulli unquam injuriam feciſſe.* VII.

P. Heuter. Cervera aliique.

Lud. Guicciardin. de deſcriptione Belgij.

Iuſtitiam ALBERTI V. Archiducis Auſtriæ laudabit poſteritas. Summâ quippe cum æquitate jus ſemper dixit. Adeò Religioſus juſtitiæ obſervator fuit, ut pœnam etiam minimis delictis ſtatueret, nec cum ullis familiæ ſuæ miniſtris conniveret. Suum erga illos amorem cedere juſtitiæ volebat. Quid mirum tranquillo rerum ſtatu Au- VIII.

Gerard. de Roo.

ſtriam ſub ipſo floruiſſe? Latrocinia omnia injuriaſque legum rigore & pœnarum metu ſuſtulit.

Monitum. *Vbi leges pœnæque vigent, ibi tranquilitas eſt, & vitia exulant.*

IX. ALBERTVS Belgarum Princeps tam juſtus fuit, quàm Pius. Sanctè integrèque juſtitiam ita ſemper adminiſtravit; ut boni ſub illo nihil timerent, mali nunquam non formidarent. Peccare nemini impunè licebat. Quam juſtus fuerit, una vox ejus venturis ſæculis teſtabitur, *Malo ut omnes à me Provintiæ meæ deficiant, quàm ut ego à juſtitia vel latum unguem recedam.* Hâc juſtitiâ auream Belgis ætatem, etſi breviorem, reddidit.

Ex Orat. funeb.

Monitum. *Nihil in Principe magis ſuſpicit amatque vulgus, quàm juſtitiam, ſine qua nec vulgus eſt vulgus, ſed præda.*

X. FERDINANDVS Nomine II. Iuſtitiâ primus, ita in unam æquitatem intentus fuit, ut nec litigantium dignitatem, nec affinitatem, nec ullius Authoritatem reſpiceret. Adverſus omnia immotus, in ſolas Iuſtitiæ partes inclinabatur. Venerat ex Italia Vir quidam Princeps, qui feudum aliquod nobiliſſimũ & opulentiſſimum Cæſaris ſententiâ adjudicari ſibi

ſibi poſtulabat. Erat Principis iſtius magna probitas cum morum ſuavitate conjuncta, unde fiebat, ut Ferdinandi amorem familiaritatemque mereretur. Et verò etiam non mediocriter ipſo Cæſar delectabatur. Vulgi vox erat, tam charum Imperatori Principem cadere causâ non poſſe. At ubi diſcuſſa lite & rationibus utrimque ad Iuſtitiæ ſtateram ponderatis, contra Principem Cæſar pronuntiavit, omnes laudaverunt. Aulicus tum quidam; *At quomodo Cæſar cum eo Principe deinceps ages?* Ille; *Eo*, inquit, *modo, quo ante judicium. Sicut enim propter ejus familiaritatem diſcedere ab æquitate non potui, ita nec ipſe minus ſe à me amari propter juſtitiæ adminiſtrationem, exiſtimabit.* Guilielmus Lamorm.

Hoc ipſe jam Cæſar; ſed ante Imperium idem prorſus fuit. Anno hujus ſæculi octavo Georgius Bamfius Baro Hungarus Rakenspurgi orto tum tumultu occiſus fuit. Mortis cauſam præſidij militaris Præfecto Hungari quidam adſcribebant, & caput ejus depoſcebant. Non multò poſt tota penè Civitas horribili incendio conflagravit, nec obſcurus rumor erat Styriæ cladem ejuſmodi imminere, niſi Præfectus capite minueretur. Hoc periculum, ut averteretur, nonnulli è Idem.

Consilio Ferdinando suadebant, ut unius Præfecti morte tantum damnum redimeret, omnesque metu liberaret. *Ego verò*, inquit, *Præfecto mortem inferri, si meritus non est, nunquam patiar. Nullæ tantæ sunt minæ, nulla tanta pericula, etsi tota incendio delenda Provincia sit, quæ ad injustitiam me unquam adigent.* Addit etiam, *Non si cum uxore & liberis ad stipem sim redigendus.*

Monitum. *Macte Ferdinande, sanguine innocentis nullum Regnum est redimendum.*

Si quæ causa de alicujus capite esset, eam diligenter discuti, etiam tertiò recognosci, ac omnes circumstantias ad se referri jubebat. Imò ne quis error judicando committeretur, Religiosarum familiarum preces ad Deum exposcebat.

Monitum. *Si unquam, tum certè, cùm de alicujus vita agitur, lentè festinandum est. Corrigi error post mortem illatam non potest.*

CAPVT

CAPVT II.

De Liberalitate.

1. RVDOLPHVS I. Imp.	6. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.
2. FREDERICVS Pulcher Imp.	7. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.
3. MAXIMILIANVS I. Imp.	8. ISABELLA, Clara, Eugen.
4. PHILIPPVS I. REX Hisp.	9. FERDINANDVS II. Imp.
5. CAROLVS V. Imp.	

MAgnorum Heroum est, & sic Austriacorum, liberalitate & beneficijs nunquam superari. Quippè liberalitas Principum propria dos est. Imò magnum est firmandi Principibus instrumentum. Nec minus auro muniti esse Reges debent, quàm ferro; hoc contra hostes utuntur, isto in sui observantes, benè meritos, & egenos. Austriaci Principes cùm sciant Reges, ut alijs benè faciant, natos esse, liberalissimi & olim fuerunt & nunc sunt.

RVDOLPHVS I. IMPERATOR, quasi I.
Genti suæ virtutum omnium hæreditatem relinquere deberet, nullam omisit. Ita liberalis fuit, ut nullum vel de se, vel de bono publico bene meritũ sine præmio esse sineret. Cõfessarium habebat Henricum Ordinis S. Francisci Religiosum, Pistoris Filium, hunc Episcopum Basiliensem primò fecit, mox ad Archiepiscopatum

Chytreus in Orat. de vita eius

ſcopatum Moguntinum promovit. Nemo illi ſine mercede ſervivit, ſed & præmium ſervitio addidit. Potiſſimum ſi in expeditionibus militaribus ſingulari obſequio ſeſe virtus prodidiſſet.

Monitum. *Omnium fidem ſibi obligat, qui liberalis eſt Princeps.*

II. Omnium amorem ſibi conciliavit FREDERICVS Pulcher Imperator, quia in omnes liberalis fuit. Nemo ab ejus alloquio, niſi contentus, recedebat. Omnium vox fuit, neminem Frederico ſerviviſſe, qui non opulentus fuerit.

Monitum. *Bonum miniſtrum præſtita merces, ſuo tempore facit.*

III. Liberalitatem MAXIMILIANI I. Cæſaris qui nondum novit, ex ejus Symbolo cognoſcat. *Charitas ubi neceſſitatem animadvertit, non expectat petitionem egeni; antequam petatur, opitulatur, & auxilium offert.* Sic fecit, & liberalitatem ita coluit, ut in multorum reprehenſionem incurrerit, quod nihil ſibi defuturum exiſtimans pecuniæ ſtudium contemneret.

Ex eius vita & Orat funeb. Lepidum eſt, & in Aulâ frequens, quod referam. Nobili cuidam ſed pauperi, cum vellet opitulari, legationem ad quandam Civitatem, ut florenorum centū millia poſtularet,

laret, ei mandavit. Abijt ille, petijt, & obtinuit, reversusque Cæsari quinquaginta millia numeravit. Quæstores, qui receptum amplius intellexerant, Cæsarem monent; Cæsar Nobilem vocat, venit ipse & præsens fatetur; cumque receptorum nummorum rationes exigerentur, redditurum se promittit. Interea cum hæreret nec redderet suspicans Cæsar nondum illi rationes satis esse subductas, Nobilem patitur abire. Verum cum rursum clamitarent quęstores & indignum assererent, Cæsari hoc modo illudi, tertiò jussus est adesse. Adfuit, cumque ut rationes exhiberet, urgeretur, *Rationes*, inquit, *reddere non detrecto, sed rationũ ejusmodi non admodum sum peritus. Rogo, Cæsar ut hi qui tibi assident, rationum ejusmodi peritissimi, exemplum ipsi mihi dent, & docilem reperient.* Subridens Cæsar, *Verum*, inquit, *ais, & quod postulas æquissimum est.* Ita illum dimisit.

Monitum

Nimirum sic reddere rationem solent, qui Regia bona recipiunt, ut penes eos non exigua pars remaneat.

IV.

Patrem Maximilianum imitatus PHILIPPVS I. Hispaniarum Rex, cum virtutibus alijs, tum liberalitate potissimum excelluit. De illo vulgò dictum fuit, *Nemini Philippum liberali au-*

Ex panegyrico Erasmi

rali auxilio defuisse, quem egere noverit, & juvare potuerit. Fecit hæc ejus liberalitas, ut Proceres Ordinesque Hispaniæ post Elizabethæ Reginæ obitum, amoto ob parsimoniam tenacitatemque FERDINANDO Catholico, Philippum Regem uno omnium ore desiderarint.

Monitum. *Principi liberali subesse nemo recusat.*

V. Qui erat virtutum omniũ prodigiũ, nescio an non liberalitatis miraculum fuerit CAROLVS V. Imperator. Nata cum ipso & in ejus animo liberalitas videbatur. Quippe adhuc puer aureos quadraginta in pauperes quotidie erogabat; nonnunquam etiam uno eodemque die, inscijs Præfectis œconomisque suis, septies idem præstabat. Factus Imperator non jam aureorum millia, sed Regna, Provincias integras, Vrbes, Principatus, largiebatur. Ad redimendos ab hostibus captivos, ad sublevandos bonis suis injustè spoliatos, ad inopes puellas matrimonio jungendas, tã multa effundebat, ut omnium Regum munificentissimus & haberetur, & diceretur. Quicquid autem donabat, clanculò & furtim donabat, cum ut accipientium pudori, tum ut suæ modestiæ consuleret. Neque enim beneficiorum

Scriban. P. Heuter. P. Heuter. lib. 14.

ficiorum ostentator erat. Deposito Imperio & abdicatis tot à se Regnis, ex ijs ad rei familiaris vitæque usum centum ducatorum millia reservaverat, ex quibus quamdiu illi superstes vita fuit, millia quatuor dumtaxat quotannis expendebat, reliqua jungendis connubio Virginibus egenis, viduis pupillisque juvandis, atque alijs calamitate aliquâ hominibus oppressis consignabat. Audita vox ejus hæc aliquando fuit. *Regis liberalitatem soli similem esse. Quemadmodum enim Sol lutum indurat, & ceram emollit, ita illa quorundam animos emollit, quorundam indurat.* Ex Chytræo in Orat. de eiusdem vita. Monitum.

VI. PHILIPPVS II. Hispaniarum Monarcha paternæ liberalitatis æmulator extitit. Cùm Belgium frumentorum inopiâ fameque premeretur, non aliundè tantum in omnium usum apportari curavit, verum etiam tria pauperum millia suis ipse sumptibus calamitoso illo tempore sustentavit. Si quis litterarum studio, aut justitiæ administratione, aut bellicâ virtute bene meritus esset, sine præmio aliquo esse nequaquam sinebat. Nec in bonos tantum munificus erat, sed & in malos, ne, ut dicere solebat, pejores evaderent. Dicebat aliquando, *Homines bonorum magnitudine* Surius anno 1557.

 corrum-

corrumpi, nec cujuslibet esse in rebus tam prolixis magnam fortunam concoquere. Atque idcircò quibusdam, sed divitibus, etsi multa sperare ab eo possent, nihil elargiebatur, ut intra fortunam suam cum rerum suarum incolumitate remanerent, non insolescerent, aut se non perderent. Idem magnâ prudentiâ in Reipublicæ officiorum distributione utebatur, *Vt cùm vellet unumquemq; suæ virtutis præmio gaudere, tum par officio virtus esset, & mentis capacitas.*

Monitum.

VII. At ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps omnem propemodum munificentiam suam in Divorum templa, & pauperes vertit. Siquidem in hæc supra centena millia singulis annis erogabat. Sed prudens Princeps munera sua tegebat, ut & necessitatibus aliorum occurreret, & laudem ipse fugeret. Amplius verò, nulli unquam, etsi fortassis immemori, datum à se beneficium improperabat, nec quæ munificâ regiâque manu dederat, cuiquam recensebat. Adeò etiam præter largitiones per Eleëmosynarium factas, clam multas ipse calamitosis hominibus faciebat, pupillis potissimum, senibus, & ægris, ne laudem aucupari videretur.

Scriban.

Monitum.

Non amittitur quod in Dei obsequium vel in pauperes effunditur.

De te

De te verò quid dicam ISABELLA, Clara, Eugenia, sæculi nostri decus? Partâ in agro Flervano virtute Consalvi Cordubæ de Halberstadio Mansfeldioque Notho victoriâ, cum pleriq; perdendos censerent raptores, Sicarios, Incendiarios, sub proscriptis à Cæsare Ducibus militantes, tua pietas omnes servavit, liberalitas recreavit. Nam hostium milites vulneratos Bruxellã carpentis devehi curavisti, & singulis præter alimenta, medicos addidisti, ægrotis Xenodochia constituisti. Te Matrem invenerunt, qui expectare à te mortem poterant. Sed nimirum tuæ magnitudinis esse judicabas, *adversus hostium vires, non adversus calamitates contendere. Pugnantes in acie vincere, victis parcere, nec hominem deditum interficere.* Nullus cecidit, cui non sepulturam concessisti. Videre etiam tuum exercitum tunc victorem voluisti, & præmio aliquo singulorum virtutem ornavisti. Quid, quod cum Vrbs Breda per hyemen arctissimâ obsidione cingeretur, tu singulari benevolentia militibus caligas calceosque distribui curasti. In reliquis liberalitas tua cum Alberti Conjugis tui munificentiâ certavit. Imo ut unus animus, ita una quodammodo amborum manus erat.

VIII.

Ex memoriis temp. & Orat. funeb.

IX. Vbi virtuti locus, ibi FERDINANDO II. Cæſari eſt. Nec illa ſine ipſo, nec hic ſine ipſa eſſe potuit. Si quis autem in Romani Imperij Solio liberalitatis laude effulſit, fuit ſanè Ferdinandus. Per jocum aliquando dixit, *Quod ſi Deus alicubi in ditionibus meis aliquam auri vel argenti fodinam aperiret, non opes aggregarem, ſed quantum petere à me quiſpiam auderet honeſtè, tantumdem libenter erogarem.* Tam liberalis fuit, ut penè prodigus videretur; tam munificus, ut Aulici aliquid avaritiæ in ipſo deſiderarent. Cùm nullum benefaciendi modum faceret, tum vix unquam benefaciendo ſibi ipſi ſatiſfecit. Teſtabuntur Religioſæ familiæ, & quicquid egenorum ejus ætate in Imperio Germaniaque. Suggerebat à Conſilijs quidam, ut Cæſar ſibi parceret, & pauperum ſupplices libellos alteri committeret, quod parum decere Cæſarem videretur, tenuiorum curis ac moleſtijs vacare. Sed ille ſubridens, *Non moleſtum*, inquit, *eſt pauperibus conſulere, ad hoc enim electus ſum & vocatus à Deo. Libellorum ejuſmodi cognitione cælum lucramur, an etiam cum Principum cauſis intendimus, dubito.*

Gulielm. Lamorm.

Idem cum intelligeret multis in locis Advocatos pauperibus deeſſe, quod ab ijs nulla

lucri

lucri ſpes eſſet, in ſingularum Provinciarum Metropoli Patronos conſtituit, qui pauperum, ac inprimis Viduarum, pupillorumque cauſas tuerentur, ijſque ex ærario ſuo ſtipendia decrevit. Quocunque iter habebat; viam utrimque pauperes cingebant; nec fruſtra, nam ſuâ aut alienâ manu ſingulis ſtipem erogabat. Nec arceri eos patiebatur, *Quod ibi Deum eſſe diceret, ubi pauperes eſſent.* Verebatur etiam ne quis ejus ope fortaſſis indigeret. Vnde cum ei ſuaderetur, ut quendam ex Aulæ miniſterio dimitteret, quod ejus opera Cæſari neceſſaria non eſſet, *At meâ forte*, inquit, *ſi pauper eſt, opera indiget.* Non rarò jam Cæſar renuntiatus in Xenodochijs epulum pauperibus parari jubebat, & ipſe Cæſareis manibus ſuum ſingulis ferculum apponebat, familiariter alloquebatur, de patria inquirebat, conſolabatur. Idem in Aula ſua Dominicis diebus præſtabat, Quippe duodecim accerſitos undique egenos paſcebat, ijſque ipſe miniſtrabat. Nihil omiſit, quod exigere à Chriſtiano Principe, vel pietas, vel liberalitas poſſet. Neque oblitus captivorum unquam fuit, qui vel in ergaſtulis apud Turcas, vel alibi in catenis eſſent. Nam in eam *Idem.*

rem

rem ex ſingularum Provinciarum ærario aliquid numerari jubebat.

Monitum. *Pios ac miſericordes Principes ſicut deſerere nunquam ſolet Deus, ita Ferdinando ſemper adfuit.*

Nullos hic ſigillatim recenſere Cæſares aut Reges deberem. Fuit eadem propemodum Principum omnium Auſtriacorum pietas, liberalitas, munificentia, & hodie eſt. Audiunt Hiſpaniæ Reges, quotquot poſt Carolum V. tot Regnorum gubernacula tenuerunt, tanquam communes orbis Patres. Apud eos, qui pro Catholica Religione exulare coguntur, Aſylum inveniunt; Principes Regionibus ſuis fatali bello exuti perfugium, Religioſi omnes ſubſidium, Oppreſſi ſolatium, Calamitoſi refugium. Tanta Monarhia miſeris omnibus patet; in omnium auxilia, in Xenodochia, in ergaſtula, in ſublevandas innumerorum calamitates ſeſe effundit. Satis eſt miſerum aliquem eſſe, vel oppreſſum, ut auxiliatricem Auſtriacorum manum ſentiat; ſatis pro Romana fide pati, ut Hiſpanicis opibus ſublevetur. Vivunt Reges illi, ut vivere alios faciant, pluſque pro alijs quotannis expendunt, quàm pro ſe. Eorum Palatium liberalitatis ipſius Palatium eſt.

Eorum

Eorum manus munificentiæ ipsius manus. Nec preces exspectant, sed præveniunt, ubi verecundia personarum dignitatem excusat. Alios juvare & opulentos facere Austriacorum est.

CAPVT III.

De Prudentia.

1. RVDOLPHVS I. Imp.	5. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.
2. FREDERICVS III. Imp.	6. ALBERTVS PIVS Prin. Bel.
3. CAROLVS V. Imp.	7. ALBERTVS II. Dux Aust.
4. FERDINANDVS II. Imp.	8. PHILIPPVS III. Hisp. Rex.

REgnorum custodem Prudentiam esse crediderunt Austriaci Principes semper. Non illam verò fucatam dolisque plenam, quam horum temporum Politici, ut vocari amant, peæ se ferunt, sed quæ divinis principiis nititur, & cujus fundamentum cælestis Numinis timor est. Dolum & fraudem à Prudentia removerunt. Et ideò feliciter regnarunt, quia verè prudenter.

Quantæ prudentiæ, solertiæ, dexteritatis 1. fuerit Austriacæ potentiæ Conditor RVDOLPHVS I. IMP. testis est Germania. Hæc cum esset dissidijs Principũ divisa, grassantium impunè prædonum depopulationibus ve-

xata, armorum civilium tumultibus concussa, ad hunc tanquam ad Numen confugit. Et hic arreptis Imperij habenis, quas illi Septemviri detulerunt, Germaniam pristinæ dignitati, paci ac tranquillitati tandem restituit. Nec hoc violentiâ, sed consilio potissimum. Plane divina in illo mens erat; nec quenquam bello prius aggrediebatur, quàm consilia omnia expertus fuisset, sed illa moderata & tuta. Temeritatem consilio non admiscebat, vim consilij expertem non amabat. Dicere solebat *Prudentiâ Regiones gubernari, tyrannide nonnunquam extendi.* Et ut unicam à se æstimari prudentiam ostenderet, crebro sermone usurpabat, *Melius bene imperare, quàm Imperium amplificare.* O bene! hoc prudentium est, qualis ipse. Sapientum consilia libenter audiebat, & admittebat; hic verò est primus prudentiæ gradus; assentationes aversabatur, alter iste est gradus. Vnde vox ejus, *Adulatores lupis similes esse; hi titillando & scalpendo asinos vorant, illi blanditijs & verborum lenocinijs Principes ad interitum trahunt.* Fuerint prudentes alij Principes & Reges, hic nemini prudentiâ secundus fuit. Sit alijs documentum, quod illi Symbolum.

Gerard. de Roo. Cuspin. Aliique.

N. Reusnerus.

Regni

Regni prudentia custos.

FREDERICVS III. IMP. ingenij adeò sagacis fuit, ut ab Italis dictum sit, *Haut facile cuiquam esse latebrosum Frederici pectus introspicere.* Quis non miretur eum annis tribus supra quinquaginta summâ in pace otioque rerum potitum esse? Id suâ prudentiâ consecutus est. Non minus consilio pax, quàm bellum regitur, & verò etiam majoris artis & prudentiæ est, cum arma cessant, quietos tenere subditos & solis legibus moderari. Adjuvat fortuna bellum, sola prudentia pacis tempora componit. Circumspiciebat omnia, & in omnes partes oculos intentos habebat, hocque modo singulos in officio & quiete continebat. Quodam tempore cum in Austria è vivis excessisset Procerum ejus quidã, sed qui tertium & nonagesimum ætatis annum attigisset, cuique omnia toto vitæ tempore ex animi sententia evenissent, *Vel hinc*, inquit Cæsar, *immortales hominum animas censere licet. Nam si Deus est, ut vere est, qui hunc mundum gubernat, eumque justum nemo nisi injustus negat, alia profecto sunt loca, ad quæ post mortem animæ commigrant, ubi pro meritis demeritisvè mercedẽ aut pœnam consequantur. Hic enim neque bonis sua*

Monitum. II. *Cuspin. alijque.*

ÆEneas Sylvius de dictis Alphonsi.

præmia, neque malis pœnas reddi videmus.

Monitum. *Oculus Regum prudentia. Cæcutiunt in Regnorum administratione, qui hoc oculo carent.*

III. Quis de CAROLI V. Cæsaris prudentia dubitet? Non dubitavit fama eum *prudentissimum Senatorum, fortissimum Centurionum, pientissimum Judicum* apellare. Erat ingenio supra modum acuto perspicacique; erat tantâ judicij acrimoniâ sapientiâque, ut eum præstantissimi Viri mirari satis non possent. Sententiam suam de rebus arduis scripto consignatam aliquando ad Principes Ducesque mittebat, & eorum tamen judicio, ut erat admirabili modestiâ, sese submittebat. Illi verò ejus sententiæ ferè semper subscribebant, & rem melius, quàm ipsi possent, perspexisse, fatebantur. Delectabatur virtutum regiarum Imaginibus, quæ à Sole, Luna, & motibus syderum sumebantur. Crebrò proinde dicebat, quod quemadmodùm Sol in summo cœli fastigio tardissimè movetur; ita Austriaci Principes in summum Imperij fastigium evecti præcipitare consilia non deberent, sed circumspectè, & cunctanter agere. Et sicut idem Sol non alius inopi, quàm opulento splendet, ita decere Gentis suæ Princi-

P. Heuter.

Principes justitiæ clementiæque suæ lucem summis ac infimis pariter præbere. Semel Philippum Filium in corporis ornatu occupatum inveniens, *Non corpus*, inquit, *ô Fili, sed animus excolendus est, ut prudenter regnes, & amicos tibi concilies*. Tot res gerere summâ cum laude, tot Regna gubernare cum admirabili felicitate, quot ille gessit gubernavitque, non humanæ, sed divinæ prudentiæ fuit. Aut nullus, aut Imperatorum prudentissimus Carolus extitit.

Rem quampiam aggressurus diu multumque eam animo volvebat, publico abstinebat, imò morbum quandoque simulabat. Dicebat enim, *Principum Consilia deprehendi non debere, priusquam in opus exirent*. Cum uno aut altero capere magnarum rerum Consilia posse, eaq; occultare, donec rerum gerendarum tempus adesset; hoc verò omnes mirabantur. *Theatrum Zuinglum.*

In bellico togatoq; ejus Senatu Viri erant ab eo delecti sapientiâ virtuteque præstantissimi, Vt non mirum sit, eorum Consilio, ductu, felicitate illum res tantas in tam dissitis terrarum orbis partibus administrasse. In togato Senatu quatuor eximiæ virtutis authoritatisque ex omnibus Imperij sui Provincijs

ſelegerat; & quidem ex equeſtri familia duos, totidem doctrinâ inſignes, quibus negotia Provinciarum in Aulam delata inprimis examinanda proponebat. deinde ſi rerum difficultas gravitaſque exigeret, totius Aulici Senatus conſultationem imperabat, cui ſæpè præſens intererat, ſententias attentè audiebat, & quæ in utramque partem conſideranda videbantur, ipſe adferebat, deque ijs diſſerebat. Raró autem, ac ferè nunquam, præſentibus Conſiliarijs concludebat, verum noctu plerumque voluntatem ſuam ſcripto mandabat, & cui volebat, ut exequeretur, tradebat. In bellico Senatu, ſeu belli Duces, eos habuit, quos virtus commendaret, & res præclarè geſtæ victoriæque illuſtrarent. In Italia Antonium Leua, Georgium Fronsbergium, Lanoium, alioſque. In Gallia Philibertum Arauſionenſium Principem, VVelſtenium, Lamorallum Egmondanum. In orbe novo Ferdinandum Corteſium, cujus induſtriâ felicitateque ampliſſimum novæ Hiſpaniæ Imperium eſt partum. Alibi alios. Philippo Filio prudens hoc conſilium dedit, ne Præfecturas magnas ſub uno capite diu pateretur, quod nō ſatis tuto magna Imperia unius fidei

Scribanius in Polit. Chriſt.

fidei à Regibus committantur. Continuatio animos ſuggerit, & imperandi conſuetudo multa ſupra privatam fortunam audere docet. Guſtata ab inaſſuetis Regnorum commoda, Regna ſuadent. Graue eſt ab imperijs ad nulla, à ſummis faſtigijs ad ima vallium deſcendere.

Vnà viuendi gubernandique regula, & ars artium prudentia eſt, nec doctus eſt, qui prudens non eſt. *Monitum.*

IV. Tam prudens FERDINANDVS II. IMP. fuit, quàm pius. Eos ſibi à Conſilijs eſſe volebat, qui Deum amplius, quàm ipſum timerent. Oderat, ſi proloqui non auderent; non probabat, ſi metu aliquo in alterius ſententiam ſe abipi permitterent; amabat, ſi candidè libereque animi ſui ſenſum exponerent. Nec amabat tantum in Conſilio dandodicendoq; libertatem, ſed illam etiam tuebatur. De rebus arduis grauibuſque cum capiendum Conſilium eſſet, omnes ex animo perturbationes eliminabat, Deum conſulebat, piorum preces expoſcebat, tum aliorum ſententias audiebat, & quod pluribus viſum, conſtituebat. Dicebat quippe, *Satius plerumque eſſe aliorum Conſilia ſequi, etſi euentus nonnunquam fallat, quàm ſuo unius judicio adhærere.* *Guilielmus Lamorm.*

Quotieſ-

Quotiescunque novi belli suspicio increbuerat, jamque pericula denuntiabantur, plura Senatorum Collegia dicere, quod sentirent, jubebat. Hortabatur verò, ut id demum suaderent, quod tueri coram divinæ Majestatis tribunali possent. Si de Religionis negotio consultandum esset, Theologos variarum Academiarum primò, tum Episcopos, atque etiam Cardinales in Consiliū admittebat. Nemo nescit silentium animam esse Consilij, quod taciturnitate obsignandum est. Ideò ipse cum rem arcanam esse volebat, singulos inscijs alijs sententiam suam scripto mandare, & ad se deferre imperabat. Ita fiebat, ut nemo quicquam evulgaret, quod se solum à Cæsare consultum arbitraretur.

Monitum. *Tum demum felix prudentia est, cum non homines tantum, sed Deus consulitur.*

V. PHILIPPVS II. Hispaniarum Rex Prudentiam cognomine induit. Passim enim Philippus Prudens audijt. Quis neget divinum in eo Consilium, plusquam humanum judicium, altam omninò mentem, qui tot Vrbes Regionesque, tot Regna in Asia, Africa, Europa, in Indijs utrisque ad Orientem Occidentemque, tam dissita, tot inimicis circum-

circumvallata, tot gentibus diversissimis referta, ita administravit, ut leges, justitia, religio, artes vigerent? Hoc qui fecit (fecit autem Philippus) non tam is homo in terris, quàm inter homines Deus quidam extitit. Ita omnes ejus prudentiam admirabantur, ut consilia pro oraculis, verba pro mandatis, nutus pro Imperijs haberent. Nec tantum facta de eo mentio reverentiam excitabat, sed etiam præsentia timorem incutiebat. Sedens Madriti in Palatio suo, aut in Escuriali non inde procul dissito, tot ubique terrarum populos, Proreges, Præfectos, solo nutu, vel litteris, vel mandato, in officio suaque sub lege continebat. Qui ejus ad extremos Indos litteras deferebat, non aliam, quàm Rex præsens, authoritatem obtinebat. Vnde verè quidam dixit, *Plus Philippum solo calamo, quam Majores ejus gladio potuisse.*

Petrus Mattheus aliiq;

VI. Fidem Europæ testor, nemo prudens, aut ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps, fuit. Ostendit administratio, quàm plurimi Reges & Duces imitātur. Nullius se Consilijs gubernandum tradebat; erat ipse sibi Dux & Consiliarius. Ne à quoquam gubernaretur, neminem tam altè provehebat, ut ejus poten-

tiam aut popularem gratiam vereri deberet, vel posset. Cum ita visum esset, dignitates pro meritis per se, non per suos, largiebatur. Nonnunquam etiam poscentibus negabat, ut obsequi discerent, non imperare; utque ab ore eius voluntateque dubij semper dependerent. Tantam vero rerum suarum notitiam habebat, ut tot populis imperare non aliter, quam exiguæ familiæ videretur. Erant illi à Consilijs multi, quos quidem in rebus maioris momenti libenter audiebat, sed ipse decidebat: Plerique Principes ab eius ore pendebant; nullius ipse indigebat. Pauca illi verba, sed maturè pronuntiata; nihil temerè, nihil imprudenter excidebat; nihil, cuius eum pœniteret: In tanta negotiorum mole, & accurrentium turba, quid responderet, semper in promptu habebat, & meditata credebantur, etiam quæ ex tempore reddebat Ita in omnibus prudentia elucebat. Veritatem, quæ tempore invalescere solet, plerumque cunctatione quærebat, & inveniebat. Idcircò nihil approbatione suâ ratum esse volebat, quod non ipse diligenter antea explorasset. Imò ea tantum sibi nota esse ducebat, quæ per se cognoverat. Adeò etiam nihil alienis

Seebanius Castelanus alijque

oculis

oculis agebat, quin omnium oculos suâ vigilantiâ contineri ostenderet. Gerebat ipse Magistratuum omnium Magistratum, ita in omnium officia inspiciebat. Distinguebat officiorum omnium rationes, & quo quispiam valebat, in eo illum occupari volebat, non se extra assignatum munus proferre. Hanc ob causam viros militares civilibus negotijs ingeri nolebat; Civiles Magistratus intra fori sui spatia se continere iubebat. Et quemadmodum unicuique in suo munere plurimum credebat, ita in rebus Sacris Antistitum & Sacerdotum authoritatem spectabat. Si quis ad militarem dignitatem aspiraret, hunc à belli Ducibus probari; si ad civilem à Togatis Proceribus; si ad Sacram, à Pontificibus, volebat. Quod si quis favore extra proprios fines quæsito niteretur, repulsam sibi parabat. Nam amicis, qui extra ordinis sui professionem alteri beneficium aut munus quærebant, negabat. Quippe non commendationes, sed iudicia ponderabat. O Principum Gemma Alberte? O prudentiæ regula?

Peccare nemini inspicientis Principis oculus permittit, in officio omnes eius metus continet. Et Princeps singula Monitum.

gula considerans, accuratam in omnibus industriam diligentiamque excitat.

VII. Demus alium Albertum ALBERTI I. IMP. Filium, ejus nominis secundum, & Austriæ Ducem. Hic manibus pedibusque æger ac corpore contractus, cum post Patris obitum Provinciarum curam suscepisset, ita administravit, ut cognomento *Sapiens* sit dictus. Satis hoc ad prudentiæ gloriam. Ostendit sane, non pedes, aut manus, sed caput imperare. Nihil attinet prudentiæ ejus modum describere, sapiens sapientissimè gubernavit.

Gerard. de Roo.

Monitum. *Prudens administratio majorem Regibus gloriam, quam militaris fortitudo parit.*

VIII. Vnum prudentiæ factum, & hoc PHILIPPI III. Hispaniarum Regis, nunc producam, sed admirandum, sed stupendum. Vnde Prudentissimum Regem illum orbis judicavit. Gens Maurorum (qui nomine Hispani, Religione Turcæ erant, & jam Granatæ, Murciæ, Andalusiæ Regna ferè universa tenebant) Hispaniam Turcico Imperio subijcere, nomenque & Christi cultum extinguere cogitabat. Nec erat difficile, nam nonies centena hominum millia erant, nisi

Ex vita eius & Orat. funeb

Regem

Regem Philippum III. Hispania habuisset. Hic de periculo admonetur, intus hostes esse, velut equum Troianum; tantum nefas mox erupturum, & ex conclusa flamma ingens incendium, quo tota Hispania conflagraret, ac deinde orbis reliquus. Anxius ipse, si unquam. Erant qui ignem & gladium suadebant, nec deerant qui exilium, alij aliud, multi inopes Consilij hærebant. Nam tantam multitudinem exterminandi nullus modus videbatur; altè radices egerat, & opes ostentabat. In re tam ardua suorum consilia Rex audit, rationes omnium ponderat, diu multumque hæret, ne quid temerè statuat. Tandem nec gladium, nec ignem arripit, etsi porrigeret justitia, sed edictum condit proclamarique jubet. Hoc fuit, ut intra triginta dies Mauri omnes, tanquam Catholicæ Religionis hostes Regique perfidi sub capitis & bonorum amittendorum pœnâ, Hispaniâ excederent. Interea exercitum ex Italia evocat, vias, per quas tansituri erant, militibus munit. Potentioribus inter eos, exilium mandat, ut cum hi non mediocriter timendi mandato parerent, cæteri tantâ prudentiâ perterrefacti, abirent. Pa-

ruerunt illi mandato, hi secuti sunt, & uno decreto Philippus Maurorum Gentem Hispaniâ expulit. Prodigium hoc fuit, sed prudentiæ. Dicamus ergò, quod Vicini Reges, & Principes fassi sunt.

Monitum. *Plus prudentia potest, quàm arma.*

CAPVT IV.

De Clementia.

1. RVDOLPHVS I. Imp.	4. CAROLVS V. Imp.
2. FREDERICVS III. Imp.	5. FERDINANDVS II. Imp.
3. MAXIMILIANVS I. Imp.	6. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.

Nihil clementius Austriacæ Gentis Principibus. Crediderunt illi semper Clementiam Regum & Principum propriam esse virtutem. Maluerunt quippe beneficijs indulgentiáque, quàm severioribus remedijs subditorum suorum ingenia experiri. Et hinc potentes sunt, quia leniora, quàm acriora Consilia malunt. Roborat enim Regum thronum clementia. Testis erit orbis universus, nos exempla dabimus.

1. Primum sit RVDOLPHI I. IMP. cujus tam incredibilis clementia animíque facilitas fuit, ut supplicibus semper parceret, abjectos semper servaret, delicti alicujus, atque etiam rebellionis, si modo venia peteretur, reis

teis indulgeret. Hinc illa vox ejus, *Immitem fuisse me aliquandò pœnituit, lenem & placabilem nunquam.* Ita ijs respondebat, qui, quod in ipso Imperij exordio mutatis moribus clementior factus esset, reprehendebant. Dicenti cuidam, *Se Ottocarum Bohemiæ Regem è medio sublaturum fuisse, si præmium constitutum vidisset*, respondit Imp. *Etsi noster hostis sit Ottocarus, non efficiet tamen, ut justitiæ & moderationis fines transeamus.* Alias, cum Sagittarij de sagittandi peritiâ certarent, & Rudolphus animi relaxandi gratiâ ad hoc spectaculum properaret, ubi à certaminis loco non longè abfuit, sagittâ ab imperito in incertũ emissâ sauciatur. Cumque è vulnere decumbenti quidam dexteram Sagittario isti amputandam esse suaderet, *Benè*, inquit, *istud, & providè, priusquam me læsisset, sed quid nunc inde consequar emolumenti?* Sagittarium mox è custodia dimitti jussit. *AEneas Sylvius lib. 2 de gest. Alphonsi.* *Idem lib. 3.*

Nulla re homo propius ad Deum accedit, quàm clementiâ. *Monitum.*

Apud FREDERICVM III. IMP. nihil Principe immiti crudelique magis exosum. Vnde crebro sermone quasi minans jactabat, *Væ vobis Principes.* Vt causam redderet, *Quales*, inquiebat, *se dum vixêre, alijs præstiterint, tales, cum* II. *AEn. Sylv. in dictis Alphonsi.*

cum morientur, in se Iudices experturi sunt. Quod si quandoque convitijs à suis petitus esset, nec excandescebat, nec omninò commovebatur. Hoc tantum, *Parum id est, in libera Civitate liberas esse linguas oportet.*

Lipsius in Monitis.

Idem cùm in Arce Viennensi à Civibus tum rebellibus diutissimè obsessus fuisset, & ad omnium ferè rerum inopiam redactus, tandem postquam se in libertatem asseruit, Viennenses Cæsari supplices facti, longâ oratione per innatam Principibus Austriacis clementiam, delicti veniam deprecati sunt. Quid Cæsar? Ecce clementiam. *Famæ*, inquit, *quàm pœnæ, amantior sum. Proinde mihi & hæredibus meis melioris sexus fidelitatis Sacramentum dicite. Injurias vobis & contumelias condono.* Illi actis Cæsari gratijs, laudataque insigni ejus clementiâ Sacramentum inprimis illi dixerunt, tum se gratos semper memoresque futuros Sanctè promiserunt.

Gerard. de Roo.

Monitum. *Bonos fidosque subditos Principis clementia plerumque facit.*

Est amplius, quod in eo posteritas admiretur. Cùm è vivis excessisset ALBERTVS Romanorum Rex, & novus Semptem virorum suffragijs dicendus esset Cæsar, quidam

Ioannes

Ioannes Gersius è VVestphaliâ oriundus, Sigismundo Cæsari à secretis Francofurtum contendit, confictisque in Fredericum vitijs, ne eum eligerent, Principibus Electoribus, quantum potuit, suadere conatus est. Sed cum eum Septem-virorum collata suffragia nihilominus Imperatorem renuntiassent, & ipse Romam Imperiales Insulas suscepturus, proficisceretur, idem ad Nicolaum Pontificem Maximum, ne coronâ insigniretur, seriò perscripsit. Horum omnium nihil Cæsarem latebat, imò corrigere illum & interimere poterat; ne quid tamen ab Austriaca clementia alienum faceret, vivere illum Viennæ, bonisque paternis, nec ijs mediocribus, frui passus est. Nihil iste ultra tentavit. *Idem & alij.*

Vinci parcendo non minus hostes possunt, quàm cum in potestate sunt, puniendo. *Monitum.*

III. Nihil mitius, nihil mansuetius aut benignius MAXIMILIANO I. Cæsare. Rogantibus plerisque cur malè de se meritos non ocyus malè perderet? *Parcendum esse*, respondit, *ut rursus victis ignoscere integrum sibi esset*. Cùm Gandavi in Flandria, adhuc Archidux tantum, & nondum Imperator ageret, quidam Fenninus Nothus militari quâdam fiduciâ ad

illum, admissæ veniam culpæ deprecaturus, ultrò accessit. Vix audierat Princeps, manum illi, etsi ignoto, porrigit. Admonetur mox ab Vrbis Proceribus, illum proximo bello stipendia fecisse, cætera virum egregium esse, multaque sæpè adversus Gallos præclara facinora edidisse. Tum Princeps, *Lubens*, ait, *illi ignosco, neque factum muto, cum eo in Gallos animo sit.*

Gerad. de Ros.

Idem cum anno partæ salutis supra millesimum quadragintesimum octuagesimo octavo, Brugis libertati restitutus esset post quartum à captivitate mensem, publicæ tum supplicationi ultrò se junxit, & oculos in Civium multitudinem, quæ sequebatur, conconvertens, hilari vultu signumque clarâ manu faciens, *Iam tandem*, exclamavit, *Pacem habemus.* Paulò post cum Flandriæ Ordines Brugensesque Magistratus ad ejus pedes sese abjecissent, & prostrati (loquente pro omnibus Rommerswallio (faterentur se gravissimè in eum Romanorum Regem deliquisse; & quanquam veniâ indigni essent, eam se tamen submissè postulare, *Ego*, inquit, *Libenter omnibus ignosco, depositaque ex animo acceptarum injuriarum memoriâ, offensionum omnium gratiam facio.*

P. Heuter. lib. 3.

Porrectâ

Porrectâ deinde manu omnes erexit, moxque in scenam profectus, flexis ante aras genibus in pacis conditiones juravit.

Anno Decimi quarti sæculi nonagesimo quarto Philippus Clivius Ravenstainius in conspectum ejus admissus positis in terram genibus, *Ago*, inquit, *Majestati tuæ gratias, quod me in conspectum admittere sit dignata. Si quid hunc ante diem commisi, quò tuam Majestatem fortassis offendi, ignosce ex animo, & præteritorum veniam indulge. Ita rogo & obtestor.* Cui Cæsar, *habes quod petis, quippe jã pridem ex animo cuncta deponens libenter ignovi, & etiamnum libenter ignosco.* Postea tamen ad Carolum Franciæ Regem defecit, & gloriosius è vivis excessit. *Idem.*

Moniium.

Multũ in delicto vituperij est; plus in clementia Claudis.

IV.

Nihil verò CAROLO V. Cæsare clementius, qui nullum unquam, à quo læsus fuisset, capite mulctavit. Imò nihil illi gravius erat, quàm damnatum capitis aliquem intelligere. Vnde cùm in Anglia Iuvenem natalium splendore illustrem, Volsæi, qui tribunali tum præerat, sententiâ damnatum audivisset, *Indignum*, inquit, *est à cane lanij tam pulchram damam devorari.* Erat Volsæus lanij filius, & multis annis in Anglia Lanienam exercuerat. *Chytræus in Orat. funeb.*

Anno CIↃ. IↃ. XL. cùm Gandavi suos inter Senatores pro tribunali sederet, capitis & bonorum publicationis sententiam contra Reinerum Brederodæ Toparcham pronuntiavit. Hujus crimen erat, quod ductâ è Marcanis uxore cum ijs se Francorum Regi addixisset; quod Comitum Hollandiæ Zelandiæque insignia gentilitia publicè usurparet; quod eorum locorum Comitem aliquando se futurum jactaret. Nemo læsam hoc crimine Majestatem dubitabat. At verò cùm reus in genua ad Cæsaris pedes procubuisset, & culpam fassus veniam submisso animo petivisset, vitam illi Cæsar donavit. Adstabant tunc Flandriæ Senatores, Hollandiæ Præses, Primi Nobiles & Proceres, qui cum suas pro reo preces offerrent, & ipse Francico Marcanoque fœderi renuntiaret, ei quoque bona omnia restituit, & in gratiam recepit.

P. Heuter. Lib. 11.

Clementi Principi satis fuit vidisse supplicem.

Triennio post illustrius clementiæ suæ exemplum orbi ostendit. Guilielmus Cliviæ Dux Francos adversus Carolum Cæsarem secutus, ubi se deceptum animadvertit, plusque in Francorum promissis magnificentiæ, quam fidei apparere, statuit ad Cæsaris, quanquam

offensi,

offensi, clementiam confugere, & in ea salutis suæ portum collocare. Sistunt illũ Cæsari pro tribunali in Castris ad Venlonam sedenti Reinerus Nassovius Arausionum Princeps, Henricus Brunswicensis Dux tũ exul, Legatus Hertmanni Coloniensis Archipræsulis, qui simul pro eo preces suas offerebant. Ipse ad Cæsaris genua confestim procubuit, & cum eo è primâ nobilitate illustres octo Dynastæ pulla veste induti. Tum in hanc vocem erupit, *Patere clementissime Cæsar, ut adolescentia mea magnificis ingentibusque Francorum promissis decepta apud te veniæ locum inveniat. Errata virilis inposterum ætas constanti ergà te fide emendabit sarcietque.* Hanc ejus vocem excipiens Cancellarius flexo simul genu Cęsarem submissâ oratione ad clementiã permovere conatus, *Leges* inquit, *quascumque dabis, Cæsar, æquo animo Dux accipiet, servabitque.* Hæc cum ita agerentur dicerenturque, Carolus composito ad gravitatem vultu, ne unum verbum prolocutus est, tantum severè prostratos & supplices intuitus, ut Nassovius Granvellanusque deditionis leges scriberent, mandavit, abijtque. Non parum ista aspectus severitas supplicum animos perstrinxerat. At ubi scriptæ leges fuêre, Cæsar Guilielmum

Idem P. Heuter. Ibidem.

Ducem in gratiam recepit, qui postquam subscripsit, fidemque suam jurejurando obligavit, more apud Principes Imperij recepto Cæsarem salutavit, gratias egit, cum eodem familiarissimè cœnavit, ac demum Mariam Austriacam ejus Neptem, Ferdinandi Romanorum Regis Filiam, uxorem accepit.

Punire videri potest, qui anxium reum relinquit, nec tamen clementiæ laudem amittit, qui postea ignoscit.

Caroli clementiam exteri quoq; sunt experti. In Belgium ex Hispania rediens à Francisco Primo Francorum Rege ejusque conjuge Leonorâ summo ubique honore pompâque exceptus Ambosiam pervenit, sed noctu. Arx est in edito colle sita, in quam ardentibus innumeris facibus tædisque Cæsar inducitur. At ecce quidam (studio an casu ignotum) penè Arcem incendunt. Et quidem cum tapetes flamma undique corrupuisset, vix abfuit, quin Cæsar, & cum eo Proceres Ministrique, fumo suffocarentur. Capti mox aliquot perpetrati facinoris suspicione laborantes, quos cum Rex vehementer excandescens strangulari jussisset, non tulit hoc Cæsar, Regem exoravit, vitam captivis servavit.

Idem ibid.

Hallam

Hallam fortè diverterat Carolus anno supra millesimum quingentesimum quadragesimo sexto cum ad eum Fredericus Septemvir, Comes Palatinus mox accurrit. Faverat hic protestanribus Principibus adversus Cæsarem, & culpæ veniam deprecabatur. Motus ingenuâ Confessione Cæsar, modestè primum incusavit objurgavitque, quod belli initio quadringentos hostibus equites misisset, tum veniam dedit, inque amicitiam recepit. *Idem.*

Apud benignum Principem culpæ confessio pro pœna est, & veniam meretur, quem deliquisse pœnitet. *Monitum.*

Sed non opus ire per singula. Tota Germania, clementiæ ejus est monumentum. In ea Vlmensibus pepercit. Francofurtenses cum omnia sua Cæsaris potestati subjecissent, veniam impetrarunt. Argentoratenses eâdem per Antonium Peronottum apud Atrebates Antistitem efflagitarunt, & obtinuerunt. Ne facerent persuadere Franciæ Regis Legatus tum conabatur, sed audire ipsi noluerunt. Miserat Dux VVirtembergius Legatos, qui coram Cæsare in genua provoluti culpam primò confessi sunt, multis deinde lachrymis veniam orarunt, ac datis legibus *Idem.*

pro

pro Duce suo subscripserunt. Ignovit Cæsar. Augustani deprecante Antonio Fucquero benignissimum Cæsarem invenerunt. Aliæ plures liberæ Imperij Civitates in ejus misericordiâ, cum deliquissent, spem suam posuerunt, nec frustrâ. Pluribus ignovisset, si plures peccavissent. Sine aculeo Carolus erat.

Monitum. *Parcendo Princeps ex hostibus Amicos facit, & perfidiam clementia non raro in fidem convertit. Odit delictum qui misericordem invenit, quem offendit.*

V. FERDINANDVS II. IMP. Clementiam suam publico privatoq; bono metiebatur. Si neutri Iustitiæ rigor detrimentum adferret, clementiæ suavitate justitiam temperabat. Idcirco omnes ferè prolatas à Iudicibus in reos sententias mitigabat, nunc locum, nunc tempus, nunc supplicij genus commutando. Nonnunquā pœnæ partem, aliquando totam tollebat. Ita nemo ferè ab ullo Iudice puniebatur, qui non aliquam à Cæsare misericordiam experiretur. Dolebat, & vero etiam ingemiscebat, si mortem alicui inferri permittere deberet. Eo imperante nec parentum crimina filijs, nec filiorum Parentibus detrimento erant. Solabatur ipsemet inno-

Gueliel. Lamorm.

centes,

centes, & patrocinium promittebat. Si quis læsæ Majestatis reus esset, eximi ab ignominia familiam volebat. Soli reo sceleris macula inurebatur. Adeò justus & misericors fuit Ferdinandus.

Vtile est legum severitatem benignitate temperare, ut nec impunitas peccandi sit illecebra, & lenitas ad officium revocet. Quæ sæpè puniuntur, sæpè committuntur. Vnius supplicio integræ familiæ coërcentur. Monitum.

In hac clementiæ arena omittere PHILIPPVM II. Hispaniarum Regem non possum. Alij in aliquos, in omnes ipse clementissimus fuit. Ab eo & avitâ Religione cum Batavi defecissent, delictorum omnium veniam publicari Antverpiæ jussit, adeoque præteritarum injuriarum, defectionis, & omnium discordiarum memoriam sempiternâ oblivione delendam promulgari; sed tanta tanti Regis clementia obstinatos animos non movit. Eadem benignitate sæpius Rex est usus, sed frustra. Oblatam clementiam irriserunt, & esse perfidi maluerunt, quàm tam turpem in se maculam Regiâ lenitate apud posteros delere. Hæc durantis adhuc hodie belli causa, hæc tot miseriarum occasio, sed laudabit posteritas Philippum, eadem

Nicolaus Burgund. de bello Belgico aliique.

Q rebel-

rebelles damnabit.

Monitum. *Principum clementiam Hæretici & rebelles semper respuunt, cum in manu sunt vires; hæ si defecerint, supplices fidem offerunt, non servaturi. Ludunt & illudunt Regibus.* Exhausit remedium, qui sibi ignosci non vult.

Producere plures possem, Philippos, Albertos, Rudolphos, Leopoldos, sed innata est Austriacis omnibus clementia. Nihil illis benignius, nihil lenius. Vnum qui ab hac virtute laudat, cæteros ejusdem familiæ extollit; communis quippe omnibus est clementia. Apud eos culpam confiteri, est veniam impetrare. Insultare jacentibus nesciunt, supplicibus nihil negant, pati abjectorum lachrymas non possunt. Quasi propria esset Austriacorum misericordia, ubi etiam non deberent, ignoscunt.

CAPVT

CAPVT V.

De Constantia.

VEneror te, ô Constantia, animosa Austriacorum pectora ita effecisti, ut nullis adversis fracta steterint in te, & fixerint gradum. Fortunâ majores ipsi fortunam riserunt. Imò cuncta infra se, seu adversa seu prospera, despexerunt. Immoti tranquillitatem animi semper retinuerunt. Hæc Augustæ familiæ hæreditas, hoc singulare symbolum, Nec spe, nec metu.

Prodeat inprimis MAXIMILIANVS I. 1.
Erat illi sponsaliorum fide in uxorem addicta Anna Francisci Britanniæ Armoricæ Ducis Filia, quæ cum in Germaniam adduceretur, vim adhibuit Carolus octavus Franciæ Rex, & ex itinere, ut sibi conjugem acciperet, retraxit. Debebat hic Margaretam Austriacam Maximiliani Filiam ducere, pacto renuntiavit & remisit. Gravis ista injuria omnibus visa est, & prudentiores in Fran- P. Heuter.

cia detestati sunt. At verò Maximilianus non tantum constantissimo animo tulit, verum eo ipso die, quo intellexit, insolitâ hilaritate frontem serenavit, ludicra certamina aliaque spectacula dedit. Ignominiam Francus, ipse gloriam reportavit; scivit ille injuriam inferre, hic immoto animo superare. Quasi nihil adversi accidisset, ita se gessit.

In hoc Belgio nostro cum apud Brugenses nondum susceptis Imperij gubernaculis in custodia detineretur, ac nullâ tantæ personæ habitâ ratione indignissimè tractaretur, plusquam virum, & Austriacum se ostendit. Conjectus primum in Caneburgicam domum; inde, ut arctius clauderetur, in Clivij ædes deductus, in summo vitæ periculo versabatur. Diversæ erant Francorum operâ concitatæ in Vrbe seditiones, ut, aut furentis populi manibus occideretur, aut tanquam profligatus homo injurijs omnibus afficeretur. In hac porrò rerum adversitate, in hac solitudine, in hoc præsenti vitæ periculo, nunquam ab animi sui magnitudine discessit, nec quicquam se indignum fecit, aut dixit. Idem semper erat Maximilianus. Horrebant ejus vultum infestissimi hostes; populus ipse seditiosus

tiosus

tiosius præsentem reverebatur. Vnde fiebat, ut qui eum arctissimè conclusum custodiebant, rarissimé populo exhiberent. Macte Maximiliane, hâc constantiâ majorem de hostibus tuis victoriam reportasti, quàm si profligasses, aut cepisses.

In adversis æqualem mentem qui servat, adversa vincit, constantem fortuna timet, hostes reformidant. Monitum.

In CAROLO V. Cæsare constantia pectus se dignum invenit. Eum quippe intrepidum animum habuit, ut inter medias Africani maris tempestates vultum nunquam mutarit. Cùm autem tot undique adversus eum hostes exsurgerent gravissimaque bella inferrent, constantissimo animo dicere solebat, *Quo plus periculi, eo plus gloriæ erit.* Varia quotidie ad illum nunc læta, nunc adversa deferebantur, & nunquam familiares domesticique, quæ significata fuissent, ex ejus vultu intelligere animadvertereq; potuerunt. Tanta erat oris, oculorum, totiusque Cæsarei vultus constantia, & perennis quasi quædam serenitas. Nunquam ejus animus nutante vel acriter urgente fortunâ se demisit, nunquam prospero aspirante flatu insolentius se extulit, aut jactavit. II. *P. Heuter. Seribani Zerocarus aliique.*

Cùm castra ad Ingolstadium metatus esset, fœderati Germaniæ rebelles ingentibus copijs castra ejus cinxerunt. Nondum verò illi animus pugnandi, quòd è finis aliquos adhuc exspectaret, & mox tutam sineque clade victoriam futuram præviderer. Sed ecce rebelles æneorum tormentorum numero validi tantum ferreæ grandinis in castra jaculabantur, ut uno die sex majorum globorum millia numerarentur. Istis ictibus omnia pervia, adeoque ipsum Cæsaris tentorium, & quidam à latere ejus & à tergo occisi. Quid ipse? nec locum, nec vultum mutavit.

Lipsius in monitis Polit.

Monebant amici, ut in se saltem omnibus parceret, in se omnes servaret; ille subridens, *Quisquamne*, inquit, *Imperatorum unquam ictu tormenti perijt?* Hoc verò est constantiæ risu fortunam contemnere.

Monitum.

Fiducia in Deum constantes Principes facit, & dum illi adhærent, infra se omnia adversa reputant, nec lætis efferuntur.

Prodidit se quoque in FREDERICO III. IMP. constantia, ut illum orbi fortunâ majorum exhiberet. Occupaverat Viennam Matthias Hungariæ Rex, & majori Austriæ parte victor potiebatur. Inde Fredericus

III.

dericus cum octingentis tantum equitibus excesserat, & Germaniæ Principum auxilia operiebatur. Cum autem multi fortunam ejus deplorarent, ipse æquo illam constantiq; animo ferens, *Summa*, inquiebat, *felicitas est, rerum irrecuperabilium oblivio.* Hoc illi Symbolum fuit. Constans permansit, & sua recepit. Fiduciam ab animo suo sumebat, unde cùm per Helvetiorum agros paucissimis comitantibus iter aliquando faceret, nec quicquam timere videretur, plurimi, ne tantopere sibi fideret, admonebant, nonnulli etiam id imprudenter ab eo fieri dicebant. At ille, *Securitatē*, inquit, *mihi & constantiā facit animus innocens.*

Cùm autem anno CIↃ.CCCC.LII. ex Italia in Germaniam rediret, moneretúrque, ut in itinere insidias timeret caveretque, constanter ita respondit. *Non adeò suspecta mihi meorum est fides, ut ullum periculum timeam. Ladislaus unus petitur, quo, si usus ferat, in medium prolato, Austriaci, Hungari, Bohemi, (perinde atque olim projecto Eridis pomo tres Deæ) inter se digladiabuntur.* Ladislaum apud se tum Imperator detinebat, alij isti repetebant. *Æneas Sylvius.*

Non potest non esse constans, qui animo securus est, & benè sibi conscius. Deinde cedere, cum fortuna *Monitum.*

adversa

adversa premit, etiam constantis est, sed non desperare.

Demus jam illum, pro quo fortuna constantiaque, quamdiu vixit, concertarunt; illa, ut deprimeret, hæc ut immotum servaret. Hic est FERDINANDVS II. Nec Hungariæ, nec Bohemiæ Regnum sine adversarijs adijt; sed dum in se constans perimansit, superatis illis regnavit. Imperij Diademate legitimâ electione potitus est; iterum hostes Bohemi, alijque solâ invidiâ concitati sese opposuerunt; iterum ipse constans imperavit. Quædam Provinciæ fidem illi juratam abjuravêre, dum constans resistit, ad fidem redierunt. Calamitates plurimæ bello acceptæ animum ejus concusserunt; æquo animo dum fert consistitque, victorijs gloriosissimis compensatæ sunt. Conclamatum sæpius fuit, & actum de Austriaca in Germania Gente videbatur; ipse in spem meliorem semper erectus, nunquam animo dejectus, de hostibus triumphavit, & Gentis suæ splendorem restituit. Tanquam scopus videbatur fortunæ adversæ objectus, sed illa cor nunquam tetigit. Nec ingemuit unquam, nec lachrymatus est Ferdinandus, multò minus desperavit.

IV. *Guilielm. Lamorm.*

Eadem

Eadem ſemper animi tranquillitas, eadem oris & vultus ſerenitas ante clades, poſt clades. Eadem conſtantiâ ſecundam tertiamque, quâ primam, excipiebat. Si ictus in ictum incurreret, intrepidus ferebat. Imò dejectos alios ipſe erigebat, & ad ſuſtinendum adhortabatur. Calamitates, exercitia virtutum appellabat; ſine his neminem magnum eſſe, neminem cœlum mereri. Duos illi primos Filios luſtralibus aquis expiatos quamprimum mors eripuit. Grave vulnus, ſed Ferdinandi lachrymis non dignum, ne quidem verbo uno acerbiori. Gaudebat potius & gloriabatur, quod illi felicium in cœlo infantium numerum augerent. Enimverò quem adverſa non depreſſerunt, proſpera non extulerunt. Vicit ad Pragam Fredericum Palatinum, & cum eo Bohemiam; ſed vultum non mutavit, gratias cœleſti Numini egit. Guſtavum Sueciæ Regem in Lucenſi prælio interfectum audijt; *Progrediamur*, inquit, *in humilitate & rem totam Deo commendemus*. Exiliebant gaudio alij, Ferdinandus idem ſemper. Vbi Romanorum Rex Ratisbonæ renuntiatus Filius fuit, etſi ne id accideret, omnium vis hoſtium collimaret, actis divinæ Majeſtati

gratijs nihil insolentius egit. Supra fortunam constantia Fredericum constituerat.

Monitum. *Sui juris non est, quem fortuna immutat; à fortuna dependet, nec regere alios potest, qui prospera adversaque regere non potest. In his humanæ vires cernuntur.*

V. PHILIPPVS II. Hispaniarum Rex sola Majestate constantiam præ seferebat, & fortunæ terrori erat. Vno exemplo contenti erimus. Adornaverat classem, quâ nunquam major, ut Religionis Catholicæ hostes aut opprimeret uno impetu, aut coerceret. In ea navium & triremium numerus pœnè innumerus, comeatus copiosissimus, genus omne armorum. Orbem terrarum tali classe Philippi potestati subijci posse nemo dubitabat. Paulò post inter Angliam Franciamque ludibrium facta ventorum tota tempestate deijcitur. Id ubi Regi nuntiatum nec excanduit, nec exclamavit, hoc tantum sedato constantique animo, *Non istam classem adversus ventos, procellas, & tempestates, sed adversus Religionis Catholicæ hostes miseram.* Magna hæc adversitas fuit, sed nec illa, nec ulla alia Philippi animum à constantiâ ad doloris sensum

Ex vita eius & historijs temp.

potuit

potuit unquam inflectere. Non minus animi sui Rex erat, quam tot Regnorum, & fortunæ triumphator.

Vnum tamen adhuc non omittendum. Exortâ in Belgio rebellione quidam Proceres ausi ab eo Religionis libertatem postulare, salvam aliter Belgicam Rempublicam esse non posse. Ni concederet, actum de ejus in Belgas Imperio. Vis extrema, & quæ Regis animum coucuteret, sed non Philippi. *Moriar*, inquit, *potius, quàm hæresim admittam; nec nomen, nec conscientia patitur, nec jusjurandum à me præstitum permittit.* Tam constans fuit, ut Belgium amittere mallet, quàm perjurium admittere. Imo Regna omnia amittere maluisset.

Reges & Principes cum ijs calamitas aliqua nuntiatur, flagellum Dei esse cogitare debent, ut in officio contineantur; si res prospera, suspectam habeant fortunam, nec insolescant. ***Monitum.***

De te, FREDERICE PVLCHER IMP. quid dicam? silentio tuam constantiam consignasti. Nam cum in pugna à Ludovico Bavaro captus esses, & ad illum deductus, tacuisti, nec ullum ex ore tuo verbum prodijt. Silentium sibi constantia indicit, & quo VI.

Gerard. de Roo. Monitum. muta magis, eo major. *Constans tacere mavult, quàm fortunam accusare. Mulierum est in adversitate ejulare.*

VII. ALBERTVM PIVM Belgarum Principem nihil unquam à proposito, in quo ejus honor, aut publicum bonum agebatur, potuit avocare. Cum in Flandria Ostendam obsideret, intelligeretque Alexandrum Farnesium octodecim mensium spatio Batavis Antverpiam eripuisse. *Nondum*, inquit, *sunt octodecim illi anni, quos, ut Ostendâ potiar, impendere sum paratus.* Omninò constantissimè. Sed cum eodem tempore oppugnanda Ostenda esset, milites alibi seditiosi rebellesque compescendi, & auxilium Civitati cuipiam alteri ferendum, *Quo plus*, ait, *laboris, eo plus honoris; quò plures hostes, eò plures Triumphi.* Quid generosius?

In eius vita & Orat. funeb.

Monitum. *Vir constans adversa omnia tanquam gloriæ segetem accipit, & per difficultates ipsas gradum sibi facit ad honorem. Imo ubi plus difficultatum est, ibi pedem figit.*

VIII. VVILHELMVS ARCHIDVX Austriæ Leopoldi Probi Filius natu maximus, (quem Aulicum à morum venustate dixêre) Ludovici Hungarię Poloniæq; Regis Filiam Hedwigem adhuc impubem, cum certa in Poloniæ Regnum

gnum ſuccedendi ſpe, Patre ita volente, ſibi deſponſatam babebat. Mortuo Ludovico Rege Leopoldus cum Regina, Matre Hedwigis, in Vrbe Buda affinitatem pactumque matrimonium denuò confirmat. Extant hujus rei apud Ioannem Cuſpinianum litteræ. *Cuſpian.* Annis aliquot poſt Hedwigis à Matre in Poloniam miſſa Regno inauguratur. Interea Iagello Litvaniæ Dux Regnum & Reginæ nuptias per Legatos ambijt, hæc verò ſe VVilhelmo deſponſatam fatebatur aſſerebatque, neque ſibi cum alio nuptias cordi eſſe. Sed *Gerardus de Roo.* inconſtans Mater Iagelloni tandem Filiam addixit, Proceres Regni authores fuerunt, & ille Regno optatoque matrimonio potitus eſt. Cùm poſtea VVilhelmus ad cauſam dicendam vocatus eſſet, conſtanter reſpondit, *De muliere inconſtanti litem perſequi, infra Archiducis dignitatem eſſe.* Quamdiu tamen Hedwigis vixit, vitam ipſe cœlibem duxit, ut etiam in amore erga ſuam quondam ſponſam conſtans eſſet.

A muliere qui conſtantiam expectat, ejus naturam ignorat. *Monitum.*

CAPVT VI.

De Fortitudine.

1. RVDOLPHVS I. Imp.
2. FREDERICVS Pulcher Imp.
3. MAXIMILIANVS I. Imp.
4. CAROLVS V. Imp.
5. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.
6. ALBERTVS II. Imp.
7. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.

PRivatorum hominum est salutem suam defendere; Austriacorum, omnium incolumitatem tueri. Idcircò propria illis fortitudo semper fuit, quâ & hostibus suis restiterunt, & fortunæ vim omnem contempserunt, & periculis calamitatibusque majores extiterunt. Videte & extollite.

I. Qui Gentis Austriacæ Conditor, idem fortitudinis ejus Author RVDOLPHVS I. IMP. in bello adversus Ottocarum Bohemiæ Regem cum dubio marte multis horis acies concurrissent, & ipse suffosso equo procubuisset, pedes tandem pugnavit, seque illæsum suis acclamavit. Novi inde pugnantibus animi. Alius ei equus offertur, conscendit, tantoque in hostes impetu irrupit, ut aciem illorum fregerit, Bohemos in fugam conjecerit, victoriam occiso Rege sibi vendicarit.

G. de Roo.

Idem

Idem Cæsar bello Burgundico, cum perfosso iterum equo gravissimum pedes certamen aliquamdiu sustinuisset, ubi se obrui hostium multitudine animadvertit, in vicinum lacum prosiluit, arreptoque palo tam diu substitit, donec à suis adjutus evasit. Paulò post cum ad Vesontionem castra metatus esset, interim miles circumquaque Regionem vastaret, Legati à Philippo Pulchro Galliæ Rege, ad eum venerunt. Minabantur hi venturum protinus cum exercitu Regem, nisi ipse reductis inde copijs abitum maturaret. *Veniat*, inquit, *neque enim saltandi, neque restis ducendæ causâ convenimus. Non facile esse leges arma tenentibus dare, discet Rex & sentiet.* Idem.

Sed & in eodem bello à suis admonitus metuendam in exercitu rerum inopiam, imò famem esse, quod paucorum dierum annona superesset, *Victores*, ait, *hostium commeatu potiemur, & victi ipsi cibum nobis præbere cogentur.* Idem. Hac insigni animi magnitudine hostes ita perculit, ut Burgundos ad pacem petendam & ad Imperio obediendum compulerit. Nunquam posteritas Rudolphi fortitudinem satis extulerit. Ita magnanimus, & simul ita felix fuit, ut ex quatuordecim pugnis gravis-

gravissimisque conflictibus semper victor, semper triumphans redierit.

Monitum. *Omninò ita est, viribus corporis pugnatur, animi robore magnitudineque victoria paratur. Fortis est, etsi corpore imbecillis, qui in periculis non succumbit animo.*

II. Vno fato, sed omnibus hostibus invidendo, FREDERICVS PVLCHER IMP. animi sui fortitudinem testatus est. In pugna cum Ludouico Bavaro, quæ dubiæ aleæ primò fuit, antequam in hostium potestatem veniret, suâ manu plures, quàm quinquaginta, confodit. An quisquam militum plures? ad victoriam pauciores suffecissent.

G. de Roo. Heuter. aliique.

Monitum. *Magnanimus Heros aut capi, aut mori inultus non potest.*

III. Major omnibus periculis MAXIMILIANVS I. fuit. Is in Morinorum agro adversus Francos pugnans. Cùm inter equites primò esset, ubi peditum agmen laborare animadvertit, ex equo confestim desiluit, peditibus se immiscuit, pedes pugnavit, & victoriâ potitus fuit. In pugna autem Blangiaca, apud Belgas, conspectâ primum equitum suorum fugâ, peditum Phalangi se junxit, primusque lanceam pedestrem in Alexandrum Britonem,

P. Heuter.

tonem, inter hostium Gallorum Equites strenuissimum, fortissimè contorsit, & mox equo dejectum propriâ manu cepit. Hoc modo aciem ad victoriam restauravit. In eo prælio, dum fortiter hostibus instat, ter in ultimum ferè discrimen venit. Sed nimirum sui Generosus Imperator obliviscebatur, ut omnes conservaret, ipse vinceret. P. Heuter.

Post mortem Matthiæ Hungariæ Regis recuperatâ Vrbe Viennâ cùm Arx oppugnaretur inter primos invicto animo pugnans vulnus in pectore accepit. Paulò post vi summâ adacti Hungari deditionem fecerunt, ipse eos vulneris sui oblitus, etsi adhuc hians esset, præter omnium opinionem mitissimè accepit dimisitque. *Fecisse eos, inter pugnandum*, dicebat, *quod debuerant; suæ humanitatis esse, cùm se dediderint, nihil idcircò gravius statuere.*

Belli Dux in prælio non vitam, sed victoriam curat; qui vicit, satis diu vixit. Monitum.

IV. Videri potest CAROLVS V. IMP. fortitudinis ipsius personam induisse. Non aliter ipsa fortitudo egisset. In agmine & fronte aciei semper primus. Quindecim nonnunquam horis in equo, aliquando diutius & armatus perdurabat. Mortem contemnebat,

 ad pe-

Scriban. aliique. ad pericula impavidus erat. Si tonarent ſcloporum ictus, nec caput inclinabat, nec pedem loco movebat, nec vultu expalleſcebat. Cùm ejus corpori Lorica aliæque ferreæ laminæ circumponebantur, horror quidam & pallor apparebat; at cùm armatus, loricatus, galeatus erat, Leone fortior & animoſior exiſtebat.

F. Robertellus in Orat. funeb Bononiæ habita. In Hiſpaniam profecturo ſedatis jam maris fluctibus fortè nuntiabatur, maritimis in locis peſtem invaleſcere; ſed ille, *Eundum*, inquit, *eſt, nec tam bona tempeſtas prætermittenda. Peſtis Auguſtum, peſtis Cæſarem, peſtis Carolum nulla nunquam attigit.*

Cùm graviſſimum illud adverſus Franciſcum I. Galliæ Regem bellum gereret, rebus In vita eius omnibus jā ad prælium paratis rogavit, Magiſter Equitum num aliud fieri Cæſar imperaret? *Aliud*, inquit, *nihil*, *niſi*, *ut enſes radendis Gallorum barbis aptetis.* Cominus nimirum, non eminus pugnandum eſſe, Quod verò etiam Alexandro magno tribuitur. Quodam tempore, exiturus in prælium, ſtabat in acie armatus, ſed adhuc intra vallum; hoſtes interea magnâ tormentorum vi repellere eum nitebantur. F. Robertell Monentibus Ducibus, ut ſaluti ſuæ

Cæſar

Cæſar proſpiceret, id ſolum reſpondit, *Canes, qui latrant, nequaquam ſunt extimeſcendi Timendum non eſt, cum Dei præſidio vallati ſatis ſimus.* Ita Caroli fortitudo in Deum fiducia erat.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum vigeſimo octavo, Franciſcus I Galliæ Rex miſſo cum litteris Caſtrenſi Legato Carolum ad ſingulare certamen provocavit. Receptis VIII. Idus Iunij litteris Cæſar hilari ſerenoque vultu, *Accipio*, inquit, *certamen.* Et quoniam ita Gallus volebat, ceratminis locum ad amnem Toloſam, qui inter Fontarabiam & Andaviam labitur, conſtituit. Hoc in loco Rex ex captivitate liberatus ſe Filioſque ſuos Cæſaris poteſtati aliquando commiſerat. Permiſit inſuper, ut lecti utrimque Viri genere illuſtres, & rerum ejuſmodi gnari locum inſpicerent, diem, armorumque genus deſignarent. Reſponderet item Rex Gallus intra dies quadraginta. Quibus de rebus litteras ad eum per Caſtrenſem itidem Legatum miſit, eique in mandatis dedit, ut in Regis conſpectum admiſſus illas ipſi prælegeret, aut legendas traderet. Conventum Procerum ſuorum Pariſijs tunc Rex indixerat, quo cum introductus Legatus eſſet, an reſponſum adferret, *P. Heuter. lib. 10.*

& an Cæſar certamen acceptaret, Rex interrogavit. Affirmante Legato, poſtulanteque, ut ſibi litteras publicè recitandi poteſtas fieret, aut id facere ſua Majeſtas dignaretur, Rex nec legi, nec recipi voluit. Quippè generoſum Cæſaris animum non ignorabat. E ſolio ſuo mox deſcendens, brevem cum Legato ſermonem miſcuit, digreſſus deinde audire eum amplius noluit. Omnium eſt & facilè provocare, certare paucorum. Provocavit Franciſcus, certare non auſus fuit.

Annis octo poſt Neapoli Romam Cæſar venerat. Dato à Pontifice Senatu, quàm invitus ad novum cum Franco bellum deſcenderet, inſigni oratione docuit, ſatius fore aſſerens, ſi ſingulari cum Rege certamine controverſijs omnibus finis imponeretur, quàm tot hominum millia ambitioſi odij calamitate opprimerentur. Admirati ſunt purpurati Patres Cæſaris generoſitatem, Pontifex prudentiam & manſuetudinem extulit.

Age verò, ipſi etiam Turcæ fortitudinem ejus agnoverunt. Nam cum Solymannus eorum Imperator in Styriam innumero exercitu inſtructus penetraſſet, venit Viennam Carolus, & de rerum ſummâ cum Solymanno de-

no decernere ſtatuit. Erant in Caſtris ejus non procul à Vienna peditum millia centum, equitum triginta. In his & illis flos Hiſpanorum, Italorum, Germanorum Belgarum; omnes acerrimi & veterani milites. Et pugnæ copiam facere ex Ducum conſilio certum erat. Id ubi intellexit Solymannus perſpecto Cæſaris conſilio, diſciplinâ, ardoreque militum permotus, converſis ſignis Pravum ac Savum cum omnibus copijs trajecit, & Belgradum contendit. Dixiſſe illum in diſceſſu ferunt, *Non ſe temulentos Germanos, ſed Caroli fortunam formidare, quæ eum nec hactenus deſeruit, & victorias inſignes tribuit.* Compendio utendum, ne in ſolo Carolo procurrens ſtylus hæreat, uno nec integro anno Germaniam domuit. Inde illæ ejus ad Pontificem litteræ. *Veni, vidi, vicit Deus.* Non numero triumphi pretium, & captivos, Ioannem Fredericum Saxoniæ Ducem, & Philippum Haſſiæ Lantgravium, ænea tormenta mille, decies ſexies centena aureorum millia. Ne gloriæ tamen ſilentium aliquid detrahat, victorias illuſtres quadraginta retulit, bella ſupra ſexaginta ad optatum exitum deduxit; caſtella cæpit ſu-

Striban. pra centum millia, Vrbes decies octingentas, naves ſupra decies octingentas. Nunquam acie victus, nunquam Caſtris exutus. Parem illi quæ ætas inveniet?

Monitum. *Ars imperandi fortitudine continetur, & Imperij fines tam latè patent, quam fortitudinis.*

V. Sed venio ad Caroli Filium PHILIPPVM II. cujus fortitudo Chriſtianorum Aſylum fuit. Arx Pevolenſis in Africa Chriſtianorum navigationibus infeſta, eorum commercia impediebat. Implorant hi Philippi opem, & In vita eius ille annuit, etſi Arx genio loci invicta videretur, ſed non ejus fortitudini. Itaque centum triremium claſſe, Garſiaque Toletano Duce illam cingit, oppugnat, pauciſſimis deſideratis, breviſſimo tempore expugnat. Hoc modo Chriſtianis pacem, mundo commercia ſuâ fortitudine reſtituit.

Quid? quod cùm Melitam Inſulam Soly- P. Heuter. mannus centum ſexaginta & octo triremium claſſe pertinaciſſimè oppugnaret, deeſſe rei Chriſtianæ Philippus non voluit, nec ſinebat invictus ejus animus. Quare Garſiâ quoque Duce, Siciliæ tum Prorege, manus conſeruit, hoſtem immaniſſimum inde fugavit fuditque, & cæſis tribus ſupra viginti Turcarum

rum

rum millibus Insulam liberavit.

Addam hoc quoque, partam ad Echinadas ejus auspicijs Ducequè Ioanne Austriaco victoriam illam, quâ nunquam Turcarum Imperio gravior extitit. Summa tum orbis universi admiratio fuit, & lætitia. *Historici passim omnes.*

Verè fortis est, qui aliorum, imò omnium pericula suis viribus discutit, & sublato metu pacem reducit. *Monitum.*

Nemo non in numero fortissimorum Heroũ ALBERTVM II. Cæsarem censebit. Alta illi indoles, animi fortitudo major. Nec expallescere, nec timere sciebat, semper interritus. Ne quis nocere auderet, imò ne cogitaret, gladio semper quocunque ibat, accinctus erat. Hoc modo repellere injuriam, non inferre paratus fuit. VI. *G. de Roo. Cuspian. alijque.*

Verè dictum. Ne leonem in te excites dormientem. Semper Vir fortis, ut leo, est paratus, nec minus animi robore, quàm ense. *Monitum.*

ALBERTVS PIVS cùm à Medicis admoneretur, ut si valitudini consultum vellet, ab ea negotiorum contentione cessaret, quâ sibi nullam quietem permittebat. *Hæc agere,* inquit, *necesse est; ubi verò subditis meis prospexero, curationi corporis dabo, quod potero.* Hæc est fortitudo, laboribus pro publico bono non succumbere. VII. *Ex Orat. funeb.*

cumbere. Sic ſui oblitus erat, ut populo ſuo viveret; ſic ſalutem ſuam Reipublicæ ſaluti poſtponebat.

Monitum. *Vt adamas igne non non conſumitur, ita Princeps fortis labore non frangitur.*

VIII. Vocandus in hanc quoque fortitudinis ſcenam FERDINANDVS II. IMP. Hic quemadmodum Albertus Pius, à Proceribus quondam monitus, ut ſibi paululum à laboribus temperaret, ac valitudini conſuleret. *Imò,* ait, *ut laborem in hoc Cæſareo Solio poſitus ſum à Deo, non ut otio indulgeam. Qui publico bono conſultum vult Princeps, parcere ſuæ valteudini non poteſt. Malo mihi deeſſe, quàm officio meo.* Addebat frequenter, *Omninò ſe beneficium inſigne à Deo accepiſſe, quod labores amaret, iiſque delectaretur.* Nemo illum unquam acceſſit, quin in opere aliquo deprehenderit. Ita in nullo otium probabat, in ſe non patiebatur. A cœna aut prandio vix temporis quicquam ſibi, ut quieſceret, indulgebat. Libellos omnes ſupplices ipſemet legebat, conſultationibus omnibus intererat, ad quatuor etiam quandoque horas; & quò uberior laboris materia, eò amplius lætabatur. Stans & laborans pænè occubuit. Nam eâ nocte, quæ matutinum ejus obitum præceſſit,

G. Lamor.

cessit, multa ipse constituit, libellos plurimos legit, varia ad Consiliarios expendenda transmisit, prolixas ad Regem Filium litteras suâ manu exaravit. Par omnibus fuit, quia fortis. Plura de eo & alijs diximus, cum de constantia egimus. Illa ad fortitudinem spectat.

Nullum Principibus tempus jucundius esse debet, aut gratius, quàm quod publicæ omnium saluti impendunt. Stantes eos mori decet, & gloriosum est. Monitum.

CAPVT VII.

De Patientia.

1. Albertvs I. Imp.
2. Fredericvs III. Imp.
3. Ferdinandvs II. Imp.
4. Philippvs II. Hisp. Rex.
5. Albertvs Pivs Bel. Prin.

AVstriacorum Patientia nunc se offert, & in partem fortitudinis venit; nec infirmioribus radicibus stabilitur, quàm generoso spiritu abundat fortitudo. Ex hac enim nata est, & patiens esse non potest, qui non fortis. Iudicarunt illi non minorem victoriam esse perferre, quàm superare. Exempla docuerunt, nos illa ostendemus.

Prodeat in primis Albrtvs I. Imp. eâ indole menteque præditus fuit verè divinâ, I.
ut cum

T

ut cum injurijs sæpius affectus fuerit; earum nunquam meminisse voluerit; imò nec ulcisci. Inferebant aliquando inimicissimi, & vindicare se poterat. Ea verò cogitatio subire ejus animum nunquam potuit. Patienter ferre malebat, quàm referre. Hanc ob causam maxima illi apud omnes gloria, & ab animo tam patienti gratia.

Gubian. alijque.

Monitum. *In fundo patientiæ radices potissimum virtus agit; nec virtutis idoneus est Minister, qui mala nescit pati.*

II. Eandem gloriam reportavit FREDERICVS III. IMP. qui, ut humanissimus, ita patientissimus. Quippè nemo unquam injuriam ullam patientius tulit. Hanc causam diuturni ejus Imperij omnes dixerunt. Imperavit annis tribus & quadraginta, sed patientiâ imperavit. Quodam tempore cum intellexisset quendam multis à se beneficijs cumulatum ac quam plurimis nominibus sibi devinctum à se defecisse, nihil commotus, *Miror*, inquit, *Virum tantum majoribus se suis indignum reddidisse.* Fuit ista patientiæ ipsius vox; & cum aliud nihil addiderit, unâ istâ voce, quicquid commissum erat dissimulavit.

Pontanus de Princip.

Monitum. *Felix est Princeps, cujus animus adversus mala omnia obduruit patientiâ.*

Nulla

Nulla admirabilior PHILIPPI II. Hispaniarum Monarchæ patientiâ. Tulit multa, dum vixit, acerba æquo animo, acerbissima ultimo in morbo. Tunc enim cum vehementissimis cruciatibus torqueretur, acutissimos dolores sentiret, membra ferro nonnunquam aperirentur, nunquam ingemuit, nullum doloris signum ostendit, animo & vultu sereno constitit. Quærebat ab eo Filius paulò post regnaturus, an non gravissimos & acerbissimos dolores experiretur, *Parum*, inquit, *de corporis dolore sollicitus sum, amo etiam illum, & pro delictis meis graviorem opto.* Tum magno animi affectu exclamabat, *Deus meus, Deus meus, fac quæ patior, & grata tibi sint, & ex animo delicta mea detergant.* III. *Cervera de obitu Philippi aliiq;.*

Tam prudens unusquisque ostenditur, quàm patiens est; nec quisquam tam idoneus ad præclarum facinus est, quàm qui patientiâ ad rerum difficultates & asperitates occalluit. Fortis non est, qui irâ deiicitur. *Monitum.*

Fuit FERDINANDO II. Cæsari stomachus, qui acerbissima quæque concoqueret. Vnde Hæreticorum injurijs impetitus, ab hostibus indignissima perpessus, nec animo indoluit unquam, nec acerbius quicquam est prolocutus. Conqueri, protestari, ex- IV.

postulare nesciebat; silentio & patientiâ cuncta superare, hoc verò sciebat. Voluit Catholicam religionem, ut debebat, toti Germaniæ restituere, impediverunt nonnulli & obluctati sunt; ipse commiseratione eorum, qui se perditum ibant, duntaxat conquestus fuit. Erupit eò quorundam aliquando licentia, ut Majestatem ejus injuriosis verbis lacerarent; dicamne? ut canem, ut nebulonem, ut sanguinarium appellarent. Scivit ipse, contempsit, non indignatus est, & patientiâ suâ illorum impudentiam vicit. Quosdam acerbe in se & impudenter invectos audijt, nec potentiæ, sed patientiæ documentum erga eos exhibuit. Scommata & maledicta, tanquam inanes latratus, aspernabatur. Generosorum equorum hic mos est. Canes Hæretici imitantur, & omnem Monarchiam oderunt.

G. Lamor.

Famosis libellis adversum se editis suâ conscientiâ erectus nequaquam commovebatur, nec eos scripto confutari volebat. Quippe Heroum gloriam impudens os aut calamus non obfuscat, & ab Hæreticis aut vilibus hominibus vituperari, laudari est. Adversariorum impudentiâ crevit Ferdinandi gloria.

gloria. Si quandoque linguæ abſciſſione à Iudicibus mulctarentur, ut debebant, qui Cæſarem audaciſſimis & mendaciſſimis verbis criminati fuerant, ipſe ſententiam recognoſcens linguæ pœnam expungebat. Excuſabat ſuorum tarditatem aut negligentiam, etiam cum alij accuſarent. Nihil Ferdinando patientius.

Qui non ægrè fert injuriam, vim omnem injuriæ retundit. Vnde adverſus oris petulantiam & procacitatem non melior eſt armatura, quàm patientia. *Monitum.*

Poteſt verò toti terrarum orbi patientiæ exemplum eſſe ALBERTVS PIVS. Par V. animo corpus largita ei natura non fuit; tenue erat, & tenerum. In hoc totos viginti annos acerbiſſimis articulornm, & ſubinde renum, cruciatibus conflictatus nunquam ingemuit, nunquam exclamavit, non ſtatum compoſiti placidiqne vultus mutavit. Vbi transferendus aliquando è lecto in lectum, & quidem dum ſævirent Podagræ dolores, nec faciem contraxit, nec moroſior fuit. Semel cum geſtaretur, vehementius illum per imprudentiā Cubicularius quidam impulit; ſubito Princeps, *Stupide*, inquit, *me lædis.* Verbo iſto errorem objurgarat, ſed *P. Caſtellanus in orat. funeb. alijq;*

mox quaſi invito excidiſſet, deprecatione correxit, & ſe deliquiſſe faſſus triſtioris ſeveritatis animadverſionem condonari ſibi poſtulavit. O verè patientem Principem & manſuetum! Sed ultimis vitæ annis ſupra omnium admirationem patientia ejus eluxit. Erat illi valetudo extrita, corpus carnibus exhauſtum ſolâ cute tegebatur; interim ſæviebant Chiragræ, calculi, podagræ, acerbiſſimi dolores. Attamen plus in eo ſemper patientiæ, quàm doloris, apparuit; nec unquam aut membra concuſſit, aut ingemuit, aut ullâ confuſi animi perturbatione dolorem teſtatus eſt. Eodem vultu vim omnem acerbiſſimorum cruciatuum ſemper diſſimulauit. Cùm mirarentur familiares, *Nec lamenta*, inquit *dolorem leniunt, nec lachrymæ cruciatum abſtergunt, nec ſuſpiria malum eruunt, nec manuum colliſiones morbo medentur. Fruſtrà hæc admouebo, quæ nullum malo leuamen afferent.* In eo vitæ occaſu vix agnoſcebatur, ita retorta in ſe membra erant, ut vnus totum corpus globus videretur; nec adhuc contrahebat vultum, nec frontem rugabat, nec ora vertebat. Excitabat omnibus lachrymas & commiſerationem Patientiſſimus Princeps, ſed cum ſtupore & admiratione.

Scriban. in Politico Chriſt.

Non

Non miseri sunt, qui in dolores incidunt, sed qui dolorum sunt impatientes. Conqueruntur quippe homines non propter malorum acerbitatem, sed quia pati mala ipsa nesciunt. Monitum.

CAPVT VIII.

De Affabilitate & facilitate.

1. RVDOLPHVS I. Imp.	5. CAROLVS V. Imp.
2. FREDERICVS III. Imp.	6. MAXIMILIANVS II. Imp.
3. MAXIMILIANVS I. Imp.	7. FERDINANDVS II. Imp.
4. FERDINANDVS I. Imp.	8. ALBERTVS PIVS Prin. Bel.

SEmper fuit Austriacorum Principum sermonis affabilitate, & animi benignitate in hominum affectum influere. Sciunt quippe gratam omnibus esse facilitatem. Nec existimaverunt unquam de fastigio dignitatis suæ quicquam detrahi, si se ad subditos suos, etiam plebeios, inclinarent. Venire ad se omnes permittunt, audiunt omnes, blandè omnibus respondent. Indè tantus eorum in subditis amor, ut subesse illis gloriosum arbitrentur, certè jucundum. Consideremus igitur eorum affabilitatem.

RVDOLPHVS I. IMP. omnibus patebat. Semel cum frequens admodum populi ad Au- 1.

ad Aulam concursus esset, & ipse è fenestra prospectans submoveri tenuioris fortunæ quosdam à satellitibus videret, exclamavit, sed non sine stomacho, *Per Deum, sinite homines ad me venire. Non enim ideò ad Imperium vocatus sum, ut in arcula includar.* Adeò neminem ipse reijciebat, nulliique spes eum adeundi adimebatur.

Lipsius l. 2. Monitorum

Monitum. *Principes, qui se charos subditis suis volunt, faciles ad se aditus præbere debent. Hæc una affectus vincendi via est.*

II. Ejusdem animi fuit FREDERICVS III. Cæsar, qui ultrò ad se cujuscumque ordinis homines evocabat, blandius cum infimis agebat, & si perterritos Majestatis aspectu animadverteret, animum addebat, ipseque eos interrogabat. Frequenter autem dicere solebat, *Oportere Imperatorem, & auditu sæpè non audire, & visu sæpè non videre.* Præstat hoc prudens simulatio, quæ nec virtutem deserit, nec Consilia arcana detegit. In profundo regnantis animus est.

G. de Roo. Cuspian. aliique.

Monitum. *Regnare qui tutò volunt dormire multis debent, & sagaci Consilio multa dissimulare; omnibus interim faciles ad se aditus præbere.*

III. Nemo affabilior faciliorq; MAXIMILIANO I. Cæsare.

Cæſare. Hæc omnium eſt confeſſio. Tenuiſſimæ ſortis hominibus ſui copiam libenter faciebat. Quod ſi quandoque Majeſtatis reverentiâ perturbarentur, deambulabat cum ijs, & ut, quæ conceperant, proferre poſſent, vulgaria quædam familiariaque interrogando efficiebat, ut ſui tandem compotes, quæ vellent, præſenti animo exponerent. Vbi audierat, dato humaniſſimè reſponſo lætos â ſe dimittebat. Non opus hic eſt, ut monitum ſubjungam, ipſe dicere ſolebat. *Idem & Berbunck in Apotegh.*

Fideles ſubditos ſemper lætos è Principis conſpectu diſcedere debere. *Monitum.*

IV At verò FERDINANDVS I. IMP. hac virtute verè ſe Auſtriacum oſtendit. Certâ horâ quotidiè conditionis omnis homines ſereno & pacato vultu audiebat, ijs ſine faſtidio clementiſſimè reſpondebat. Semel Miniſtrum à cubiculis, quod ſortis infimæ mulierem ab aditu arcuiſſet, graviter objurgavit. Dicebat enim, *Si nos excludimus inopes à conſpectu noſtro, quid nobis ipſis ad divinæ Majeſtatis tribunal eveniet.* *P. Heuter.*

Aliàs, cùm inter venandum illi libellorum ſupplicum faſciculus oblatus eſſet, eundem venationis Magiſtro tradidit, monuitque, ut

quæ petebantur, colligeret sibique referret. Ille verò cùm id se facere non posse respondisset, *Sinite ergò*, inquit Cæsar, *alere me scribas, qui id possint.*

Istud autem sanè lepidum, etsi omninò serium. Miles quidam annis gravis multa stipendia confecerat, & militando vitam suam sæpius gravissimo discrimini pro eo objecerat. Vt solutionem efflagitaret ad Cæsaris Ferdinandi Aulam accessit. Indicatur Cæsari, & ille, quia gravissimis tum negotijs intentus, *Redeat*, inquit, *alias & tempore oportuniori.* Tum miles, *Tantumne itineris frustra igitur confecero? Verbis dumtaxat tribus absolvero; tribus verbis Cæsarem aures dare leve est, nec æstimanda temporis jactura tantilli.* Renunciatur Ferdinando, *Veniat*, inquit, *sed eâ lege, ut tria tantum verba depromat.* Paret miles, & cùm à Cæsare, quid peteret, interrogaretur. *Solutionem*, inquit, *aut dimissionem.* Cui Ferdinandus, *Non dimissionem, sed solutionem.*

Berlinck. in Apotegh.

Monitum. *Omnibus se dare debet; qui vult sibi omnes dari.*

V. Non minor in Augustissimo CAROLO V. comitas, quàm Majestas fuit. Alloqui eum, supplices porrigere libellos, querelas deferre, negotia quævis exponere omnibus permissũ.

Nam

Nam omnibus cujuscunque conditionis hominibus, ubi remota mensa erat, quotidiè patebat. Mirabantur potissimùm plebei in tantâ gravitate tantam facilitatem reperiri. Quippè par infimis istâ comitate facilitateque videbatur, cujus Majestas omnium Principum dignitates infra se cernebat. Zenocarus, Heuterus, aliique.

Quosdam ipse suaviter corripiebat, si aut inter loquendum titubarent hærerentvè, aut libellos exhibere cum trepidatione vererentur.

Princeps populi refugium est, patere ad illum aditus semper & facile debet. Monitum.

VI. Imitatus Carolum MAXIMILIANVS II. IMP. parem laudem retulit. Prandio absoluto mensæ adstans aut juxta sedens, omnes omninò, etiam abjectissimos, audiebat. Et hos libentissimè. Singulis comiter placideq; respondebat; quod mireris etiam eâ linguâ, quâ negotia proponebantur. Plurimas enim callebat. Sicut autem sine difficultate audiebat, ita sine mora respondebat. Sic sibi nec tempus præripiebat, nec alijs.

Nullum Principes personarum discrimen facere debent; proinde æquè parvus ac magnus audiendus est. Omnium ex æquo Principes sunt, qui regunt. Monitum.

VII. Vt nulla virtus, ita nec affabilitas deesse FERDINANDO II. potuit. Faciles aures omnibus dabat, nec ulla audiendis illis hora destinata, sed quæ advenientibus esset oportuna. Nulla audiendo nausea, nullum tædium. Plures sæpè horas uni dabat, & quidem sereno ridenteque vultu semper. Hoc unum illi propositum, negotia, pro quibus interpellabatur, primum expedire; tum si aliò occupationes non evocarent, familiariter colloqui, de vitæ conditione, de Patria, de liberis sciscitari. Patrem cum filijs agere dixisses, aut cum fratre fratrem. Agere humaniùs cum subditis nemo potuit. Stabat autem audiendo gladio vel mensæ tantum innixus, si illi prospera firmaque valetudo esset; si morbo impediretur, audiebat tamen, & cum sedere eum oporteret, sedem etiam Proceribus præcipuis, sed potissimum Sacerdotibus, dari curabat.

G. Lamor

Monitum. *Comes esse Principes decet erga illos, qui eos conveniunt non superbos. Nam ut servi Dominorum arrogantiam ægrè ferunt, ita subditi Principum superbiam. Solâ vultus serenitate demereri subditos Principes possunt.*

VIII. In ALBERTO PIO cum augusta quædam

dam & supra hominem Majestas eluceret, tum facillimos ad se aditus, & admissis, aures prębebat patientissimas. Nulli se subtrahebat, nec occupationes prętexebat. Imò gerere animo videbatur, quotiescunque sui copiam faciebat. Adeò nullius dictionem, etsi prolixam aut aliquando parum urbanam, interrumpebat. Parcè equidem, sed benignè tamen omnibus respondebat. Idcircò admirabantur universi tantam Majestatem cum plebeia propemodum audiendi facilitate in eodem Alberto tam benè convenire. *Scriban. in Christiano Politico.*

Tales se privatis hominibus præstare Principes debent, quales optarent, si ipsi privati essent. **Monitum.**

CAPVT IX.

De humanitate & mansuetudine.

1. FREDERICVS III. Imp.	5. RVDOLPHVS I. Imp.
2. ALBERTVS I. Imp.	6. MAXIMILIANVS I. Imp.
3. CAROLVS V. Imp.	7. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.
4. FERDINANDVS II. Imp.	8. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.

HVmanitatis & mansuetudinis commendatio non minùs in summis Principibus gloriosa est, quàm Majestatis excellentia. Idcircò à duabus his virtutibus, quæ vinculo quodam inter se connexæ sunt,

commendari Principes Austriaci semper desideraverunt. Vnde plus penè in ijs humanitatis apparuit, quàm Majestatis; quod illam scirent ad amorem conciliandum esse, hanc ad aliquem cum subjectione terrorem ex alto solio diffundendum. Effectus in ijs recognoscamus.

I. Atque inprimis in FREDERICO III. IMP. cujus humanitas cùm tanta esset, ut suo amore genus omne hominum complecti videretur, cum percunctanti cuidam, quos præ cæteris ardentiùs amaret, respondit dignam verè Cæsare vocem, *Eos qui me minus, quàm Deum, metuunt.* Omninò optimè. Timeri volebat, hæc custodia est Majestatis; sed moderatè, hæc custodia est subditorum beneuolentiæ.

Monitum. *Timor & amor Regum sceptra custodiunt.*

II. ALBERTVS I. Rudolphi I. Filius, antequam Imperij gubernacula susciperet, quodam die cum Viennæ in Palatio suo pranderet, ferculum veneno infectum fraude Ministri alicujus in mensa illi propositum fuit. Ipse nullam fraudem suspicatus avidè degustavit, sed mox ingens totum ejus corpus dolor invasit, & agere animam videbatur. Occluduntur quamprimum Palatij fores, nec exitus ulli permissus. Aderant præter alios non multos Fredericus & Albertus Buckaimij Fra- [G. de Roo Alijque.]

tres

tres tunc temporis ministerio mensæ Principis destinati, qui ubi Domini sui periculum viderunt, subitò consternati, ut à se suspicionem omnem amolirentur, ambabus manibus in patinas involarunt, & cibos in ora ingesserunt. Vidit Albertus, & nutu clamoreque, quo poterat, ne id facere permitterentur, prohibet, *Notam sibi esse Iuvenum istorum fidem, perspectam innocentiam.* Medici repente ad violenta remedia confugientes totum corporis temperamentum ita inverterunt, ut vim veneni omnem per os, nares, aures, oculos expulerint. Restitutus sanitati Princeps fuit, sed altero oculo deinceps caruit, & pallorem quasi perpetuum facie induit. Magnum periculum, sed major erga Ministros fideles humanitas. Quis non sævitiam expectasset? Hic est ille Albertus, qui feminas pudicas, Ecclesiasticos pios, milites strenuos præ cæteris venerabatur & amabat, delatores & bilingues homines summo odio prosequebatur.

Fraus unius non debet Principum erga alios humanitatem extinguere. Qui verè amat, bonos amat, non malos. *Monitum.*

Nulla mihi pagina sine CAROLO V. quia nulla illi virtus defuit. Naturâ ad humani- III.

tatem factus erat, genio ad mansuetudinem. Vnde occupato in Africa Tuneto cum bis mille Christianos in ergastulis repertos (inter quos quamplurimi Franci Italique illustri genere nati) liberos pronuntiasset, omnes ad ejus pedes sese prostraverunt. Nec amoveri à Cæsaris corpore ullo modo poterant. Miserum sanè, sed lætum simul spectaculum. Erant semi-nudi, squalidi, verberibus concisi fædatique, fame macerati, & vix ossibus hærentes; verum ita gaudio sui impotentes, ut vel Cæsaris calceos in grati animi signum, exosculari desiderarent; & ut liceret avidissimè ingentique clamore postulabant. Vt eorum desiderio Cæsar satisfaceret, sedit in Castrensi Solio, ad genua sua, & ad manus osculum singulos admisit, vestem deinde unicuique & aureum unum nummum donavit. Inde tantâ cũ lætitiâ, fausta feliciaq; Cæsari apprecantes, discesserunt, ut lachrymas toti exercitui & adstantibus alijs commoverent. Qui Franci erant, ad Legatum Francisci I. Galliæ Regis à Cæsare remissi sunt; Hispanos, Italos, Germanos, ut suos, tractavit, quosdam, quod ita vellent, militiæ suæ adscripsit. Reperta Tuneti eo tempore omnis generis arma quondam

P. Heuter. lib. 11.

quondam in illa Divi Ludouici Regis infelici expeditione Francis erepta.

Anno ſuperioris ſæculi decimi quinti quadrageſimo cum ex Hiſpania in Belgium feſtinans, Aureliam cum Franciſco I. Rege Leonoraque Regina perueniſſet, agitatum in Regis Conſilio inter Proceres de Cæſare retinendo fuit, ſed diſſentientibus Procerum ſententijs, ac potiſſimum contradicente propter fidem Cæſari à Rege datam, Mommorantio nihil decretum. Cœperat tamen Cæſar poſt Amboſianum incendium de Regis fide dubitare, nec levis erat ſuſpicio. Quare Carolus captandæ benevolentiæ Eſtampij Dominæ occaſionem ſollicitè quæſiuit, quod eam in ſumma apud Regem gratiâ eſſe videret, ac ſubinde Cæſarem facundâ garrulitate oblectaret. Obtulit ſe ultrò occaſio. Fortè ad focum Cæſar cœnam exſpectans ſedebat, quò cùm Eſtampia veniſſet, manu præhenſam propius adduxit, ſermonemque magnâ familiaritate humanitateque miſcere cum ea cœpit. Geſtabat tum in digitis magni pretij annulum, cui adamas ingentis valoris inſertus erat, quemque excidere velut caſu permiſit. Illa ſubitò inclinans ſeſe annulū è pavimento

Idem Heuterus.

Ibidem.

ſublevat, & Cæſari præſentat. At Cæſar blandè ſubridens. *Tui is nunc juris eſt*, inquit, *nam hic vetus Cæſarum Regumque mos eſt, ut quæ manu excidunt, nunquam à ſublevantibus recipiant.* Cum illa Cæſarem venerata tanto ſe munere indignam fateretur, *Imò*, ait ille, *hunc annulum tibi ſerva, ut hujus ſuſcepti à me itineris, & colloquij Aurelianenſis aliquando recorderis.* Egit Eſtampia tum gratias, & memorem ſe tanti beneficij, honoris, & doni futuram promiſit. Nihil ex eo tempore de Cæſare retinendo, violandaque fide amplius audire Rex voluit. Quin imò Pariſios feſtinavit, & ut celeberrimâ pompâ veniens in Vrbem Regni Metropolim Cæſar exciperetur, curavit. Exceperunt illum omnes Regni Ordines digno Cæſareâ Majeſtate ſplendore. Aſtutiam hic videre, ſimul & humanitatem licet.

Aliud, ſed ipſius humanitatis factum, ſubjungam. Cùm è Belgio Carolus in Hiſpaniam diſcedens Vliſſingæ ſecundos ventos exſpectaret, cum Seldio Ferdinandi Fratris ſui Legato multam in noctem ſermonem miſcuit. Delapsâ interim totâ familiâ aut jam dormiente cum Miniſtrorum nullus appareret, ipſe Carolus lumen Seldio, quanquam recuſanti, per gra-

per gradus ad cubiculum usque prętulit, adjecitque, *Vidisti*, Seldi, *Carolum Cæsarem tot aliquando exercitibus excubijsque stipatum, nunc solum & à familia desertum vides. Ei tot annis servivisti, nunc tibi servit, & lumen præfert. Habe hoc à me submissi officij monumentum, tibi gloriosum. Ego in hac fortunæ mutatione divinæ Majestatis potentiam agnosco, nec repugno.* P. Heuter. alijque.

Certè tantus Monarcha ita à fastu alienus fuit, ut inferiorem se nullum unquam despiceret. Vnde quotiescunque Ioannem Fredericum Principem captivum fortè præteribat, detecto capite salutabat.

Is verè Princeps est & mortalium Imperio dignus, cujus humanitatem mansuetudinemque, non minùs homines diligunt, quàm Majestatem reverentur. Est ad Monarcharum custodiam humanitas, & ad famam. Monitum.

IV. Quid nunc de FERDINANDO II. dicam? Omnium confessio est, non aliud illum, quàm ipsam in terris humanitatem benignitatemq; fuisse. Et verò ex ipsis hostium Castris non pauci Viennam excurrebant, ut quod de ejus humanitate fama apud eos spargebat, præsentes cognoscerent experirenturque. Audebo dicere. Nemo Ferdinandum unquam adijt, qui non benignissimum humanissimumque

digressus appellarit. Antistes Coloniensis, G. Lamor. Imperij Princeps Elector, & ipse Ferdinandus, cùm apud Principes alios hujus Cæsaris humanitatem extolleret, *Ea*, inquiebat, *Ferdinandi humanitas est, quæ mortalium corda rapit, timidos erigit, perturbatos componit, afflictos solatur, tristem à se neminem dimittit*, Egregium Cæsaris Elogium, & ab optimo Principe. Et profectò hominum animos omninò rapiebat immutabatq; Vnde cùm in Austria Rustici, qui tumultum imprudentes excitarant, eum fortè quodam die publicâ in supplicatione nihil aliud, quàm humanitatem benevolentiamq; incessu, vultu, oculis spirantem vidivissent, eâ prorsus commoti captique exclamarunt: *Nunquam se id ausuros fuisse, quod attentarant, si vel semel ante Ferdinandum vidissent. Nihil aliud esse Cæsarem, quàm ipsam benignitatem.*

Idem dicebant, quicunque illi in Aula serviebant. Nam cùm eos lecto propter morbum affixos intelligebat, de illorum valetudine fieri quotidiè certior volebat, num vis morbi invalesceret amplius, aut diminueretur. Ad eosdem corporis sui Medicos destinabat, & ut diligenter curarent, præcipiebat. Idem officium ijs, qui procul ab Vrbe Cæsarea dege-

degebant, ubi eorum valetudo periclitabatur, libentissimè præstabat; Viris nimirum è Nobilitate vel Ecclesiastico ordine primis.

Difficile est sine subditorum amore imperare, facile subditorum amorem, solâ humanitate comparare. Ipsi hostes humanitate vincuntur, & arma è manibus benignitas extorquet. Monitum.

Sed nec RVDOLPHVS I. IMP. quicquam in se desse voluit, quod gratum subditis suis esse posset. Quippè tantæ mansuetudinis fuit, ut in omnium amorem sese insinuaret, nemo illum odisse posset. Videbatur quandoque Majestatis suæ oblitus, ita illam humanissimè ad omnium voluntatem inclinabat. Nunquam excandescebat, nunquam iracundia vehementiore (aut certè rarissimè) perturbabatur. Pacato tranquilloq; animo cum omnibus agebat loquebaturque. V. G. de Roa. Aliypus.

Arcanum hoc Regnorum est, hominem se, non Regem semper subditis ostendere. Monitum.

MAXIMILIANVS II. IMP. aut omninò injurias non sensisse, aut ad illas obduruisse videbatur. Privatas multas & magnas excelso animo publicæ saluti condonabat. Non eum vel vindictæ cupiditas, vel ambitio impellere poterat, ut quicquam, quod justi VI.

moderatique Principis non esset, unquam admitteret, pati ipse malebat, aut dissimulare, quàm communem tranquillitatem perturbare. Cùm juvenis admodum esset quidam è Senatorio Ordine illi dixit; Turcas à nobis captos benignè nimis tractari, quos è medio tolli reipublicæ expediret. Cui Maximilianus, *Cum quibus igitur post hac nobis bellum erit? qui labores ad litterarum memoriam reliqui? Pacisci te cum hostibus oporteret, ne ad idẽ redigeremur.* Maledicos & occultè infestos ita ferebat, ut eorum memoriam ex animo depelleret. Si omninò non posset, dicere solebat, *Satius esse, ut quærant alij, cur non puniat, quàm cur nimium aut moderatè nimis, si punierit.* Addamus & illud. Quidam in alterum injurius delationem apud Cæsarem anteverterat, cui Cæsar, *De fenestra,* inquit, *dum prospicio vidi adventantem reum, & vix animam recipientem. Nolo scalarum aliquot gradus ejus pedibus prohibere, ut adsit. Et jam sinistram aurem nescio quid mihi intus pulsat.* Hæsit alter in pudore & periculo.

Ex varijs Panegyricis & vitis.

Monitum. *Salvâ justitiâ cùm Principum mansuetudo apparere debeat; tum multa ferenda dissimulandaque sunt, ut humanitas non excludatur.*

VII. Vno facto PHILIPPVS II. Hispaniarum Rex,

Rex, inter alia quamplurima, mansuetissimum animum suum ostendit. Scripserat manu sua tantus Monarcha ad Pontificem Maximum litteras; cùm arenam autem, ut exsiccarentur, fortè postularet, qui à secretis erat vel stupore vel terrore correptus atramentum infudit. Error gravis & in tantum Regem. Sed hic nec irâ excanduit, nec verbum ullum acerbius protulit. Suâ se mansuetudine involvens chartam aliam in manus sumpsit, iterum scripsit. Hæsit mortuo similior, quam vivo Secretarius. *Caussinus in Aula Sancta tom. 2.*

Mansuetudine Reges non alios tantum vincunt, sed plerumque etiam seipsos. *Monitum.*

VIII. Nisi hominem ALBERTVM PIVM novissimus, Divum in terris fuisse crederemus. Talem incredibilis mansuetudo faciebat. Supra omnia, quæ turbare poterant, animum tenebat. Et quanquam non rarò quædam ei proponerentur, quæ meritò generosum Principem poterant exacerbare, nullum tamen ex ejus ore durius verbum audiebatur, nullum indignantis animi signum in ejus vultu apparebat. Imò indignum Principe judicabat, commoveri. In perpetua tranquillitate mens ejus sese continebat. Et hoc proprium esse *Scriban. in Polit. Christiano.*

Divo-

Divorum arbitrabatur, quos imitari Principes deberent, qui eorum in terris vices gerunt.

Monitum. *Nihil gloriosius in Majestatis Solio, quàm animum vultumque Majestate plenum retinere, nec perturbari, nec rapido affectu percelli, omnibus interim humanissimè pacatissimeque providere.*

CAPVT X.

De Fide & Iuramento.

1. FREDERICVS III. Imp.	4. FERDINANDVS I. Imp.
2. MAXIMILIANVS I. Imp.	5. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.
3. CAROLVS I. Imp.	6. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.

VOcat nos ad se Fides, cum humani, tum verò Austriaci pectoris sanctissimum bonum. Olim ejus effigies in Capitolio Romano vicina Iovi; apud Austriacos Principes vicina cordi, vel certè in ipso eorum animo semper fuit. Quippè crediderunt nihil magnos Principes decere magis, quàm verbis fidem præstare, promissis stare, jusjurandum nunquam violare. Docebunt ipsi.

1. Atque inprimis FREDERICVS III. IMP. semel tantum, quamdiu vixit, juravit, cùm nimirũ Aquisgrani Imperij diadema suscepit. Hoc

Hoc jusjurandum constantissimè totâ vitâ servavit. Nam cùm juravisset nunquam Imperij se bona, quæ in ejus potestate essent, alienaturum, multa interim ab eo peterentur, maluit etiam benè meritis negare, quàm perjurium admittere. Vnde cùm Borsius Marchio Estensis Mutinæ Ducatum eâ lege peteret, ut annuum Imperio tributum penderet, restitit negando Imperator tamdiu, donec Proceres rationibus suis convincerent non alienationem videri, sed ad lucrum concessionem. Siquidem Mutina Rhegiumque in ejus tum potestate non erant. G. de Roo Aliyque in eius vita.

Qui facilè jurant, perjuri facilè fiunt. Et Principes qui præstitum in sua inauguratione jusjurandum non curant, plerumque in Tyrannos evadunt. Monitum.

MAXIMILIANVS I. IMP. cum libertati à Brugensibus restitutus ex Vrbe discederet, Philippus Clivius obses pro eo Gandavi relictus ita ad illum, *Iam, Rex, omninò liber es, & tui juris. At rogo, ut mihi animum illum tuum candidè sincerèque aperias, num eam servare pacem statueris, quàm Gandenses, Brugenses, cæterique Flandri pro suo arbitrio à te extorserunt. Si non is tibi animus est, ego quod expedire potissimum videbitur, Consilium sequar, & quod potero decebitque faciam.* Tum Maximilianus, II. P. Heuter. lib. 3.

 Cognate,

Cognate, quod promisi juravique, servare decrevi. Aliter facere me Regem non decet. In hoc confide.

Monitum. *Nihil turpius in Regibus, quàm fidem datam violare, quâ solâ obstringi possunt, ut cum metu cogi non possint, virtutis reverentiâ compellantur.*

III. CAROLVS V. IMP. cùm VVormatiam ad Comitia Lutherum publicâ fide datâ evocasset, postquam nova ejus doctrina examinata damnataque fuit, suaderentque quidam Principes & alij, ut Lutherum, fide non servatâ detineret, quod ejusmodi Reipublicæ Ecclesiæq; perturbatori in Deum ipsum injurioso, nulla fides deberetur, eum in Saxoniam liberum abire jussit, imò etiam reduci. *Consistere*, inquiebat, *fidem apud me oportet, etsi toto orbe exularet.*

Surius in Comment.

Nec aliter ipse de Francisco I. Franciæ Rege sensit. Nam cum ex Hispania in Belgium festinaret, & Rex tutum illi per Franciam iter data fide oblatisque Filijs obsidibus, permitteret, nihil sibi morandum aut dubitandum judicavit. Dissuadebant hoc iter Hispaniæ Proceres, nec fidendum Regi esse contendebant. Nec certè deesse gravissimæ suspiciones poterant de Rege potissimum, quem captum & in sua potestate aliquando tenuisset.

Altâ

Altâ mente recondi & ad vindictæ tempus, quicquid Regibus, etsi justè fit; nec aliam esse horum temporum prudentiam, quam sese invicem decipere. Etiam fidem ipsam non raró ad dolum servire. Non fidere prudentissimum esse. Sed Carolus postquam aliquamdiu tacitus secum rationes omnes ponderavisset, ac verò etiam paucis in contrarium disseruisset, tandem, *Omninò*, inquit, *mihi per Franciam eundum est; sola Regis fides, vel unum Regis verbum sufficit, nec obsides accipio. De animi magnitudine cum illo certabo. Habet cor ejus sua in manu Deus, illud, quo volet, flectet. Mihi justa in Belgium properandi causa est, aut cum Flandris Belgisque alijs pereundum. Divini judicij sententiam exequar.* Ita suâ fide Christianissimum Regem metiri gloriosissimus Imperator voluit. *Idem & plures alij.*

Nec immeritò idem Carolus Cæsar censoria quadam severitate Helvetios reprehendit, quod cum inter Imperium Germanicum & ipsos ictum eâ lege fœdus esset, ut cum exteris Principibus societatem inire nequaquam possent, hocq; modo intra Imperij fines bella gererentur finirenturq; conjunctis tamen cum Francorum Rege copijs Germaniæ vastitatem inferrent. Iusjurandum enim ad pacti normã *Bodinus lib. 10. c. 7.*

omninò servandum esse in fœderibus nemo dubitat.

Monitum. *In rebus dubijs periculique plenis habenda amicis fides est, sed dubia; qui prudens est cautelam simul adhibet. Probis omninò injuratis habenda fides; improbis ne juratis quidem*

IV. FERDINANDVS I. IMP. ita tenax datæ à se fidei fuit, ut tempore induciarum cum hoste pactarum cum arces quasdam earum præfecti se tradituros promitterent, constanter recusarit. Eam in illo virtutem Solimannus Turcarum Imperator paulò ante mortem honorificâ oratione laudavit.

Ex eius vita & Theatro Hum.

Quid, quod cùm Veteranus quidam miles ab eo peteret, ut in feudi promissi possessionem mitteretur, contenderent autem Senatores, ne tam amplum opimumque feudum militi conferretur, ei verò alijs non minus opulentis prædijs fieret satis, *Si damnum*, inquit, *subeundum aliquod est, præstat, ut bonorum potius jacturam faciam, quàm datæ fidei. Fides servanda est.*

Cùm autem ejus Filius Maximilianus II. in Hispaniam, ut eam pro Philippo secundo Caroli Cæsaris Filio administraret, proficisci deberet, hæc ei præcepta sua manu scripta tradidit

Sacra

Sacra & preces negotijs omnibus anteponito. Monita varia.
Parasitis & assentatoribus ne fidem adhibeto.
Nihil laboris aut curæ remittito, ut fidem datam nunquam violes, aut à prædecessorum tuorum contractibus discedas.

Apud amicos etiam rerum tuarum rationem habeto, nec cuiquam omnia concredito. Nam nervus sapientiæ est, non temerè credere.

ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps tendentibus ad exitum inducijs cum non pauci ultrò magna ex agro hostili spondérent, fidem tenuit, & oblata respuit. Erat apud eum Princeps Fœmina, quæ se ejus fidei crediderat, cum repeteretur maluit Potentissimi Regis arma experiri, quàm illam fallere. Dixisse hoc erat apud eum fecisse. Quippè verba ejus nullum unquam fefellerunt; nullum frustrata sunt. Erant enim oracula, promissa, divina. Idem ob Principes quosdam, qui ad illum confugerant, evenit; pro quibus ne minimâ velificatione recti tenorem deseruisse videretur, tradere eos recusavit, nec imminens cervicibus suis bellum curavit. Facere aliter alius potuisset, qui non fuisset Albertus. V. Scriban. in Polit.

In Principum fide præcipuum authoritatis momentum est. Illam qui violat, hanc amittit. Monitum.

tatem factus erat, genio ad mansuetudinem. Vnde occupato in Africa Tuneto cum bis mille Christianos in ergastulis repertos (inter quos quamplurimi Franci Italique illustri genere nati) liberos pronuntiasset, omnes ad ejus pedes sese prostraverunt. Nec amoveri à Cæsaris corpore ullo modo poterant. Miserum sanè, sed lætum simul spectaculum. Erant semi-nudi, squalidi, verberibus concisi fædatique, fame macerati, & vix ossibus hærentes; verum ita gaudio sui impotentes, ut vel Cæsaris calceos in grati animi signum, exosculari desiderarent; & ut liceret avidissimè ingentique clamore postulabant. Vt eorum desiderio Cæsar satisfaceret, sedit in Castrensi Solio, ad genua sua, & ad manus osculum singulos admisit, vestem deinde unicuique & aureum unum nummum donavit. Inde tantâ cũ lætitiâ, fausta feliciaq; Cæsari apprecantes, discesserunt, ut lachrymas toti exercitui & adstantibus alijs commoverent. Qui Franci erant, ad Legatum Francisci I. Galliæ Regis à Cæsare remissi sunt; Hispanos, Italos, Germanos, ut suos, tractavit, quosdam, quod ita vellent, militiæ suæ adscripsit. Reperta Tuneti eo tempore omnis generis arma quondam

P. Heuter. lib. II.

quondam in illa Divi Ludouici Regis infelici expeditione Francis erepta.

Anno superioris sæculi decimi quinti quadragesimo cum ex Hispania in Belgium festinans, Aureliam cum Francisco I. Rege Leonoraque Regina peruenisset, agitatum in Regis Consilio inter Proceres de Cæsare retinendo fuit, sed dissentientibus Procerum sententijs, ac potissimum contradicente propter fidem Cæsari à Rege datam, Mommorantio nihil decretum. Cœperat tamen Cæsar post Ambosianum incendium de Regis fide dubitare, nec levis erat suspicio. Quare Carolus captandæ benevolentiæ Estampij Dominæ occasionem sollicitè quæsiuit, quod eam in summa apud Regem gratiâ esse videret, ac subinde Cæsarem facundâ garrulitate oblectaret. Obtulit se ultrò occasio. Fortè ad focum Cæsar cœnam exspectans sedebat, quò cùm Estampia venisset, manu præhensam propius adduxit, sermonemque magnâ familiaritate humanitateque miscere cum ea cœpit. Gestabat tum in digitis magni pretij annulum, cui adamas ingentis valoris insertus erat, quemque excidere velut casu permisit. Illa subitò inclinans sese annulū è pavimento

Idem Heuterus. Ibidem.

ſublevat, & Cæſari præſentat. At Cæſar blandè ſubridens. *Tui is nunc juris eſt*, inquit, *nam hic vetus Cæſarum Regumque mos eſt, ut quæ manu excidunt, nunquam à ſublevantibus recipiant.* Cum illa Cæſarem venerata tanto ſe munere indignam fateretur, *Imò*, ait ille, *hunc annulum tibi ſerva, ut hujus ſuſcepti à me itineris, & colloquij Aurelianenſis aliquando recorderis.* Egit Eſtampia tum gratias, & memorem ſe tanti beneficij, honoris, & doni futuram promiſit. Nihil ex eo tempore de Cæſare retinendo, violandaque fide amplius audire Rex voluit. Quin imò Pariſios feſtinavit, & ut celeberrimâ pompâ veniens in Vrbem Regni Metropolim Cæſar exciperetur, curavit. Exceperunt illum omnes Regni Ordines digno Cæſareâ Majeſtate ſplendore. Aſtutiam hic videre, ſimul & humanitatem licet.

Aliud, ſed ipſius humanitatis factum, ſubjungam. Cùm è Belgio Carolus in Hiſpaniam diſcedens Vliſſingæ ſecundos ventos exſpectaret, cum Seldio Ferdinandi Fratris ſui Legato multam in noctem ſermonem miſcuit. Delapsâ interim totâ familiâ aut jam dormiente cum Miniſtrorum nullus appareret, ipſe Carolus lumen Seldio, quanquam recuſanti,

per gra-

per gradus ad cubiculum usque prętulit, adjecitque, *Vidisti*, Seldi, *Carolum Cæsarem tot aliquando exercitibus excubijsque stipatum, nunc solum & à familia desertum vides. Ei tot annis servivisti, nunc tibi servit, & lumen præfert. Habe hoc à me submissi officij monumentum, tibi gloriosum. Ego in hac fortunæ mutatione divinæ Majestatis potentiam agnosco, nec repugno.* P. Heuter. alijque.

Certè tantus Monarcha ita à fastu alienus fuit, ut inferiorem se nullum unquam despiceret. Vnde quotiescunque Ioannem Fredericum Principem captivum fortè præteribat, detecto capite salutabat.

Is verè Princeps est & mortalium Imperio dignus, cujus humanitatem mansuetudinemque, non minùs homines diligunt, quàm Majestatem reverentur. Est ad Monarcharum custodiam humanitas, & ad famam. Monitum.

Quid nunc de FERDINANDO II. dicam? IV. Omnium confessio est, non aliud illum, quàm ipsam in terris humanitatem benignitatemq; fuisse. Et verò ex ipsis hostium Castris non pauci Viennam excurrebant, ut quod de ejus humanitate fama apud eos spargebat, præsentes cognoscerent experirenturque. Audebo dicere. Nemo Ferdinandum unquam adijt, qui non benignissimum humanissimumque

digressus appellarit. Antistes Coloniensis, G. Lamor. Imperij Princeps Elector, & ipse Ferdinandus, cùm apud Principes alios hujus Cæsaris humanitatem extolleret, *Ea*, inquiebat, *Ferdinandi humanitas est, quæ mortalium corda rapit, timidos erigit, perturbatos componit, afflictos solatur, tristem à se neminem dimittit*, Egregium Cæsaris Elogium, & ab optimo Principe. Et profectò hominum animos omninò rapiebat immutabatq́; Vnde cùm in Austria Rustici, qui tumultum imprudentes excitarant, eum forte quodam die publicâ in supplicatione nihil aliud, quàm humanitatem benevolentiamq́; incessu, vultu, oculis spirantem vidivissent, eâ prorsus commoti captique exclamarunt. *Nunquam se id ausuros fuisse, quod attentarant, si vel semel ante Ferdinandum vidissent. Nihil aliud esse Cæsarem, quàm ipsam benignitatem.*

Idem dicebant, quicunque illi in Aula serviebant. Nam cùm eos lecto propter morbum affixos intelligebat, de illorum valetudine fieri quotidiè certior volebat, num vis morbi invalesceret amplius, aut diminueretur. Ad eosdem corporis sui Medicos destinabat, & ut diligenter curarent, præcipiebat. Idem officium ijs, qui procul ab Vrbe Cæsarea dege-

degebant, ubi eorum valetudo periclitabatur, libentissimè præstabat; Viris nimirum è Nobilitate vel Ecclesiastico ordine primis.

Difficile est sine subditorum amore imperare, facile subditorum amorem, solâ humanitate comparare. Ipsi hostes humanitate vincuntur, & arma è manibus benignitas extorquet. Monitum.

Sed nec RVDOLPHVS I. IMP. quicquam in se deesse voluit, quod gratum subditis suis esse posset. Quippè tantæ mansuetudinis fuit, ut in omnium amorem sese insinuaret; nemo illum odisse posset. Videbatur quandoque Majestatis suæ oblitus, ita illam humanissimè ad omnium voluntatem inclinabat. Nunquam excandescebat, nunquam iracundia vehementiore (aut certè rarissimè) perturbabatur. Pacato tranquilloq; animo cum omnibus agebat loquebaturque. V. G. de Roo. Aligyue.

Arcanum hoc Regnorum est, hominem se, non Regem semper subditis ostendere. Monitum.

MAXIMILIANVS II. IMP. aut omninò injurias non sensisse, aut ad illas obduruisse videbatur. Privatas multas & magnas excelso animo publicæ saluti condonabat. Non eum vel vindictæ cupiditas, vel ambitio impellere poterat, ut quicquam, quod justi VI.

moderatique Principis non esset, unquam admitteret, pati ipse malebat, aut dissimulare, quàm communem tranquillitatem perturbare. Cùm juvenis admodum esset quidam è Senatorio Ordine illi dixit; Turcas à nobis captos benignè nimis tractari, quos è medio tolli reipublicæ expediret. Cui Maximilianus, *Cum quibus igitur post hac nobis bellum erit? qui labores ad litterarum memoriam reliqui? Pacisci te cum hostibus oporteret, ne ad idē redigeremur.* Maledicos & occultè infestos ita ferebat, ut eorum memoriam ex animo depelleret. Si omninò non posset, dicere solebat, *Satius esse, ut quærant alij, cur non puniat, quàm cur nimium aut moderatè nimis, si punierit.* Addamus & illud. Quidam in alterum injurius delationem apud Cæsarem anteverterat, cui Cæsar, *De fenestra,* inquit, *dum prospicio vidi adventantem reum, & vix animam recipientem. Nolo scalarum aliquot gradus ejus pedibus prohibere, ut adsit. Et jam sinistram aurem nescio quid mihi intus pulsat.* Hæsit alter in pudore & periculo.

Ex varijs Panegyricis & vita.

Monitum. *Salvâ justitiâ cùm Principum mansuetudo apparere debeat; tum multa ferenda dissimulandaque sunt, ut humanitas non excludatur.*

VII. Vno facto PHILIPPVS II. Hispaniarum Rex,

Rex, inter alia quamplurima, mansuetissimum animum suum ostendit. Scripserat manu sua tantus Monarcha ad Pontificem Maximum litteras; cùm arenam autem, ut exsiccarentur, fortè postularet, qui à secretis erat vel stupore vel terrore correptus atramentum infudit. Error gravis & in tantum Regem. Sed hic nec irâ excanduit, nec verbum ullum acerbius protulit. Suâ se mansuetudine involvens chartam aliam in manus sumpsit, iterum scripsit. Hæsit mortuo similior, quam vivo Secretarius. *Caussinus in Aula Sancta tom. 2.*

Mansuetudine Reges non alios tantum vincunt, sed plerumque etiam seipsos. *Monitum.*

VIII.

Nisi hominem ALBERTVM PIVM novissimus, Divum in terris fuisse crederemus. Talem incredibilis mansuetudo faciebat. Supra omnia, quæ turbare poterant, animum tenebat. Et quanquam non rarò quædam ei proponerentur, quæ meritò generosum Principem poterant exacerbare, nullum tamen ex ejus ore durius verbum audiebatur, nullum indignantis animi signum in ejus vultu apparebat. Imò indignum Principe judicabat, commoveri. In perpetua tranquillitate mens ejus sese continebat. Et hoc proprium esse *Scriban. in Polit. Christiano.*

Divo-

Divorum arbitrabatur, quos imitari Principes deberent, qui eorum in terris vices gerunt.

Monitum. *Nihil gloriosius in Majestatis Solio, quàm animum vultumque Majestate plenum retinere, nec perturbari, nec rapido affectu percelli, omnibus interim humanissimè pacatissimeque providere.*

CAPVT X.

De Fide & Iuramento.

1. FREDERICVS III. Imp.
2. MAXIMILIANVS I. Imp.
3. CAROLVS I. Imp.
4. FERDINANDVS I. Imp.
5. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.
6. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.

VOcat nos ad se Fides, cum humani, tum verò Austriaci pectoris sanctissimum bonum. Olim ejus effigies in Capitolio Romano vicina Iovi; apud Austriacos Principes vicina cordi, vel certè in ipso eorum animo semper fuit. Quippè crediderunt nihil magnos Principes decere magis, quàm verbis fidem præstare, promissis stare, jusjurandum nunquam violare. Docebunt ipsi.

I. Atque inprimis FREDERICVS III. IMP. semel tantum, quamdiu vixit, juravit, cùm nimirū Aquisgrani Imperij diadema suscepit. Hoc

Hoc jusjurandum constantissimè totâ vitâ servavit. Nam cùm juravisset nunquam Imperij se bona, quæ in ejus potestate essent, alienaturum, multa interim ab eo peterentur, maluit etiam benè meritis negare, quàm perjurium admittere. Vnde cùm Borsius Marchio Estensis Mutinæ Ducatum eâ lege peteret, ut annuum Imperio tributum penderet, restitit negando Imperator tamdiu, donec Proceres rationibus suis convincerent non alienationem videri, sed ad lucrum concessionem. Siquidem Mutina Rhegiumque in ejus tum potestate non erant. *G. de Roo Alijque in eius vita.*

Qui facilè jurant, perjuri facilè fiunt. Et Principes qui præstitum in sua inauguratione jusjurandum non curant, plerumque in Tyrannos evadunt. *Monitum.*

MAXIMILIANVS I. IMP. cum libertati à Brugensibus restitutus ex Vrbe discederet, Philippus Clivius obses pro eo Gandavi relictus ita ad illum, *Iam, Rex, omninò liber es, & tui juris. At rogo, ut mihi animum illum tuum candidè sincerèque aperias, num eam servare pacem statueris, quàm Gandenses, Brugenses, cæterique Flandri pro suo arbitrio à te extorserunt. Si non is tibi animus est, ego quod expedire potissimum videbitur, Consilium sequar, & quod potero decebitque faciam.* Tum Maximilianus, II. *P. Heuter. l. b. 3.*

Cognate, quod promisi juravique, servare decrevi. Aliter facere me Regem non decet. In hoc confide.

Monitum. *Nihil turpius in Regibus, quàm fidem datam violare, quâ solâ obstringi possunt, ut cum metu cogi non possint, virtutis reverentiâ compellantur.*

III. CAROLVS V. IMP. cùm VVormatiam ad Comitia Lutherum publicâ fide datâ evocasset, postquam nova ejus doctrina examinata damnataque fuit, suaderentque quidam Principes & alij, ut Lutherum, fide non servatâ detineret, quod ejusmodi Reipublicæ Ecclesiæq; perturbatori in Deum ipsum injurioso, nulla fides deberetur, eum in Saxoniam liberum abire jussit, imò etiam reduci. *Consistere*, inquiebat, *fidem apud me oportet, etsi toto orbe exularet.*

Surius in Comment.

Nec aliter ipse de Francisco I. Franciæ Rege sensit. Nam cum ex Hispania in Belgium festinaret, & Rex tutum illi per Franciam iter data fide oblatisque Filijs obsidibus, permitteret, nihil sibi morandum aut dubitandum judicavit. Dissuadebant hoc iter Hispaniæ Proceres, nec fidendum Regi esse contendebant. Nec certè deesse gravissimæ suspiciones poterant de Rege potissimum, quem captum & in sua potestate aliquando tenuisset.

Altâ

Altâ mente recondi & ad vindictæ tempus, quicquid Regibus, etsi justè fit; nec aliam esse horum temporum prudentiam, quam sese invicem decipere. Etiam fidem ipsam non rarò ad dolum servire. Non fidere prudentissimum esse. Sed Carolus postquam aliquamdiu tacitus secum rationes omnes ponderavisset, ac verò etiam paucis in contrarium disseruisset, tandem, *Omninò*, inquit, *mihi per Franciam eundum est; sola Regis fides, vel unum Regis verbum sufficit, nec obsides accipio. De animi magnitudine cum illo certabo. Habet cor ejus sua in manu Deus, illud, quo volet, flectet. Mihi justa in Belgium properandi causa est, aut cum Flandris Belgisque alijs pereundum. Divini judicij sententiam exequar.* Ita suâ fide Christianissimum Regem metiri gloriosissimus Imperator voluit. *Idem & plures alij.*

Nec immeritò idem Carolus Cæsar censoria quadam severitate Helvetios reprehendit, quod cum inter Imperium Germanicum & ipsos ictum eâ lege fœdus esset, ut cum exteris Principibus societatem inire nequaquam possent, hocq; modo intra Imperij fines bella gererentur finirenturq; conjunctis tamen cum Francorum Rege copijs Germaniæ vastitatem inferrent. Iusjurandum enim ad pacti normã *Bodinus lib. 10. c. 7.*

Sacra & preces negotijs omnibus anteponito. *Monita varia.*

Parasitis & assentatoribus ne fidem adhibeto.

Nihil laboris aut curæ remittito, ut fidem datam nunquam violes, aut à prædecessorum tuorum contractibus discedas.

Apud amicos etiam rerum tuarum rationem habeto, nec cuiquam omnia concredito. Nam nervus sapientiæ est, non temerè credere.

ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps V. tendentibus ad exitum inducijs cum non pauci ultrò magna ex agro hostili sponderent, fidem tenuit, & oblata respuit. Erat apud eum Princeps Fœmina, quæ se ejus fidei crediderat, cum repeteretur maluit Potentissimi Regis arma experiri, quàm illam fallere. Dixisse hoc erat apud eum fecisse. Quippè verba ejus nullum unquam fefellerunt; nullum frustrata sunt. Erant enim oracula, promissa, divina. *Scriban. in Polit.* Idem ob Principes quosdam, qui ad illum confugerant, evenit; pro quibus ne minimâ velificatione recti tenorem deseruisse videretur, tradere eos recusavit, nec imminens cervicibus suis bellum curavit. Facere aliter alius potuisset, qui non fuisset Albertus.

In Principum fide præcipuum authoritatis momentum est. Illam qui violat, hanc amittit. *Monitum.*

VI. De PHILIPPO II. verbo tantum hic attingam, quod alibi dixi. Cùm ex formula solita inaugurationis die juravisset Religionem se Catholicam conservaturum, adduci nunquam potuit, ut petitam ab aliquibus Belgij Proceribus religionis libertatem concederet. Pluris fidem, quam vitam æstimabat, pluris jusjurandum, quàm Imperium.

Historia Belgici bell.

Monitum. *Hoc verè regium est, malle Regnum, quam fidem amittere, & Deum offendere. Fraus Regnorum exitium est.*

VII. FERDINANDVS II. tantam sinceritatem spirabat, ut in eo os & cor nunquam dissentirent. Adeò nullum dolum, nullam fraudem noverat. Illi quod in ore, hoc idem in corde, & quod in corde, hoc in ore. Vt fingere nesciebat, ita nec fallere. Exosum illi erat, colores ad imponendum adhibere. Toto corpore sinceritatem præferebat, fidem nulli unquam fefellit.

G. Lamor.

Monitum. *Fides & candor Regnorum instrumenta sunt.*

FINIS.

NICO-

NICOLAI VERNVLÆI VIRTVTVM AVGVSTISSIMÆ GENTIS AVSTRIACÆ.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De sapienter Dictis.



Fœcundis pectoribus non possunt non sapienter dicta prodire. Nascuntur in illis, & inter loquendum enitescunt. Semper verò fœcunda Austriacorum pectora fuerunt, tanquam sapientiæ domicilia, ex quibus quæ dicta aliquando prodierint, quasi quædam sapientiæ documenta, videamus.

FREDE-

I. FREDERICVS III. IMP. cùm in Hungaria Gunzienses suæ ditioni subjecisset, conversus ad suos: *Magnum*, inquit, *opus egimus, sed majus nunc restat, ut qui hostes vicimus, vincamus nos ipsos, avaritiæque & ultioni frænos imponamus.* Volebat sapiens Imperator vitam hosti victo relinquendam, & quod illi restabat.

AEneas Sylvius lib. 2. de dictis Alphonsi.

Monitum. *Plus est seipsum quàm hostem vincere; illud virtutis, hoc fortunæ est.*

Idem cum Lintij in Austria sub vitæ occasum decumberet crusque illi Sphacelo affectum ex Medicorum Consilio resertum esset, ipseque cogitabundus illud suspiceret, à suis quæsivit, *Quod inter Cæsarem & Rusticum discrimen esset? tum ipsemet subjunxit, Rusticum sanum ægroto Cæsare feliciorem esse.* Vixit annos LXXVIII. imperavit LIII. quo Cæsarum post Augustum nemo diutiùs imperavit.

Monitum. *Nec Cæsarea nec Regia dignitas in partem felicitatis venire potest, si sanitas non adsit. Adeò plus est rectè valere, quàm imperare.*

Venerat quidam obscuro loco natus ad
II. MAXIMILIANVM I. IMP. & oblatis aureorum nummorum aliquot millibus, ut nobilitate donaretur, efflagitabat. Cui Cæsar, *Ditare te possum, nobilem efficere sola te virtus potest.*

Magni

Magni Viri non nascuntur, sed virtute fiunt, ut olim pronuntiavit Vrbanus Pontifex. Monitum.

III. Nihil fœcundius CAROLI V. Cæsaris pectore. Hihil ex eo prodijt, nisi quod omnibus esset documentum. Borgia Dux Candiæ cùm ab eo postularet, ut ejus consensu mundi negotijs renuntiare posset, & curas omnes saluti tantum impendere, etsi prudenti ejus Consilio Cæsar egeret, concessit tamen, sed mox ad astantes, *Ego,* inquit, *de hoc facto ita sentio, plures ejus æmulos futuros, quàm imitatores.* Ribadinira in vita Borgia.

Ferebant ægrè Principes, qui illi â Consilijs erant, quod partam tàm sæpè victoriam non ejusque prosequeretur, donec debellatum esset. Quibus ille, *Ethnicis principibus sola clari nominis fama finis olim fuit; at nobis Christianis Cæsaribus alius est scopus, quibus non laus apud homines cordi esse tantum debet, quantum eorundem salus.* Iust. Goblerin Chronica

Idem cũ in Belgicis ditionibus sese exuisset, & earum regimen in Philippum Filium transtulisset, repentè in fletum totus abijt. Cùm mirarentur vehementer Proceres, *Ne meremini,* inquit, *an nescitis senectuti proprium esse facilè lachrymari?* Georg. Richeter. in Axiomatib. œcon.

Cum Roma Senas, atque inde Florentiam profectus esset, curiosè Arcem illam inspexit,

P. Heuter. lib. 13. quam ejus Gener Alexander Dux extruxerat, & ingenti machinarum æ nearum apparatu adornarat. Tum eundem illum generum suum admonens, *Age*, inquit, *in libera Civitate principatum auspicaris, sed tibi ab exulum, Civium, omnium denique hominum insidijs diligenter cave. Omnia apud liberos principatum inchoantibus timenda sunt.*

Anno superioris sæculi quinquagesimo tertio Albertus Brandeburgicus hostis Imperij declaratus, & quidem ab Imperij Senatu, quem Cameram vocant, Cæsarem, ut pro se intercedere vellet, per litteras regnaret. Respondit hoc modo Cæsar, *Non Cæsaris est, legitimam juris exercendi viam Imperiali Senatui præcludere. Indicio positis armis, si ita lubet, contende. Si tibi roganti, teque sistenti jus negetur, tum Cæsaris officio fungar, & pro te intercedam.* — Idem Heuterus.

Cùm de Imperio a se abdicando deliberaret, hortarenturq; Proceres, ut supremâ sibi potestate reservatâ Imperij negotia per alios administraret, *Ach*, inquit, *me præsente ita res administratis, ut de vobis omnes conquerantur; quid igitur fiet, si gerendis ipse rebus non intersim?* — Idem ibid.

Monitum. *Oculus Principis custodia Imperij est, & frænum Ministrorum.*

IV. Optimè FERDINANDVS I. IMP. ex hu-

manæ

manæ conditionis consideratione sapientiam hauriebat. Vnde dicere solebat, *Hominem cælo, terrâ, mari, arboribus, brutisque longè inferiorem esse.* Sciscitanti cuidam causam; *Quia*, inquit, *hæc omnia tempestatem præsentiunt, solus homo mala sua nec sentit, nec prospicit.* Verè, etsi aliundè magna hominis dignitas elucescat. Dicebat etiam *malle se gemmarum & thesaurorum suorum jacturam facere, quam litteras nescire*; etsi se modicè in ijs versatum esse ingenuè fateretur. Si quid ei præter expectationem eveniret, hoc se versu solabatur. *Accidit in puncto, quod non speratur in anno*, Cùm autem Senator quidam ei responderet, *Perditur in puncto, quod non reparatur in anno.* Incommodo isti, inquit Cæsar, *piæ preces, & sapiens Consilium medentur.*

Chron. Ger Imp.

Ex Paneg. eiusdem.

Plùs solertia in Imperantibus potest, quàm dignitas.

Monitum.

PHILIPPVS I. Hispaniæ Rex falconem in Aula sua alebat, qui cùm esset cæteris illius generis ferocior, quodam die in Aquilam in Palatij vestibulo constitutam fortè involat faucesque ei adunco rostro præscidit. Indignatus Rex, falconem talionis pœnâ mulctari mox imperat. Factum autem redarguentibus quibusdam Proceribus, *Indecorum & impium est*, inquit, *populum in Principem suum insurgere. Aquila*

V.

Chronicon Hispaniæ.

avium est Princeps.

Monitum. *Allegoricè id quidem, sed licentiæ fræna nunquam populo relaxanda, prudens Princeps significabat.*

VI. Nemo sapientiam in PHILIPPO II. Hispaniarum Rege desiderabit. Vita & dictis mundo illam ostendit. Cum ex amicis, ut videbantur, quosdam inimicos experiretur, hoc tantum dicebat. *Hæc est rerum humanarum conditio. Fallitur qui aliud exspectat; & naturæ leges evertere velle videtur, qui aliud sperat.* Si quæ exsurgerent in Castris aut alibi militares seditiones, de ijs ita paucis disserebat. *Fatum hoc magnorum Imperiorum est, ut in eorum visceribus aliqui semper motus excitentur. Nec his Romanum Imperium caruit.* Si fortè Provinciæ aliquæ defecisse dicerentur respondebat, *Magnis Regnis idem, quod rupibus, evenire solet. Ex his varia varij detruncant bono quidem suo, sed exiguo rupium damno. Verendum tamen nisi audacius insurgant, tandem sectæ ruptis fragmentis obruantur.* Si quandoque præter expectationem quædam illi nuntiarentur, *Nihil*, inquiebat, *mihi præter opinionem accidit; nihil improvidum.*

Ex varijs Orationib. Funebribus Cervera Scriban. Borlunel.

Multi beneficiorum acceptorum Immemores sunt, & plures animum, etiam post beneficia, ingratum ostendunt. Id si in aliquo Philippus animadverteret, *omninò*, dicebat,

ignora-

ignorarent illi rerum humanarum conditionem, aliud qui sibi promitteret. Si gratum aliquem experiar, inter beneficia pono; si ingratum, inter humana numero. Conuitiari, dicebat, *esse humanæ libertatis signum. Nihil frequentius, quàm conuitia, in liberis rebusp. audiri.* Ijs ipse nequaquam movebatur. Convitia contemptu vincuntur.

Liberiores pati linguas Regum est magnorum, & pars quædam magnitudinis. Monitum.

In eo prælio, quo de Imperio Germanico ALBERTVS I. & Adolphus Nassovius concurrentes certaverunt, cum ex equo primo impetu Adolphus deturbatus, mox in eundem à suis repositus esset, in Albertum vehementius invehi cœpit, & illi reclamare, *Hic Romanum relinques Imperium*, cui Albertus, *Illud*, inquit, *in manu Dei & voluntate est situm.* Nihil amplius, quia in pugna. Paulò pòst Adolphus & vitam & Imperium perdidit. VII. Gerard. de Roo Cuspin. Aliique.

Gladijs pugnandum est, non verbis, fortitudine non jactantiâ: Sæpè vincitur, qui victoriam sibi promittebat. Monitum.

Vnum ALBERTI PII dictum tantum depromam. *Plebeium esse* dicebat, *beneficium dare & recensere, quod dedisse & narrasse sit præmium accepisse.* Non ignorabat vetus dictum, *Qui dedit bene-* VIII. Ex Funeb. Orat. Scrib. Aliisque.

dit beneficium taceat, narret, qui accepit.

Monitum. *Beneficij dati gloriam amittit, qui datum jactat.*

IX. Omittere MAXIMILIANVM II. IMP. nefas hic esset. Cùm illi è Proceribus quidam gratularetur, quod annum quadragesimum nonum clymactericum nullo valetudinis incommodo, ac multò minùs mortis periculo evasisset, sapienter ipse, *Mihi*, inquit, *anni omnes clymacterici sunt.* Ignota omnibus mortis hora, annis omnibus, imò diebus & horis exspectanda est.

In eius vita.

Cùm animadverteret leges omnibus præfixas pro casuum varietate deflecti, leges nasos cereos videri dicebat.

Monitum. *Leges non sunt, quæ omnes non obstringunt.*

CAPVT II.

De Majestate & Auctoritate.

1 RVDOLPHVS I. Imp.	4. CAROLVS V. Imp.
2. MAXIMILIANVS I. Imp.	5. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.
3. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.	6. FERDINANDVS II. Imp.

MAjestas & Auctoritas salus & custodia sunt principatuum. Vtraque reverenda quædam & singularis amplitudo quæ Principum Austriacorum divinitus impressa fuit. Gravitatem illi cum huma-

nitate

nitate semper junxerunt tamen, & hinc subditorum in illos amor, & cum timore quodam reverentia. Adeò nemo illos ad Imperia natos dubitavit. Quanquam etiam virtus iis Majestatem addidit, & animos omnium conciliavit; item formæ dignitas, quæ ab ipsis barbaris venerationem meruit. Nos eam consideremus.

In ipso familiæ Austriacæ Conditore RVDOLPHO I. Cæsare, tanta auctoritas fuit, ut præter Christianos Reges Principesque amicitiam fœdusque cum eo Persæ, Turcæ, Mosci, vehementer expeterent. Tanta Majestas, ut eorum Legati, viri alias imperteriti, atque adeò plurimi Germaniæ Principes ad ejus aspectum contremiscerent obmutescerentque. I. *Gerard. de Roo.*

Digna Imperio species est, quæ terrorem adfert, nec amorem venerationemque excludit. *Monitum.*

Fatentur omnes, quod de MAXIMILIANO I. IMP. dicam. Ex ejus vultu oculisque digna magno Principe Majestas emicabat. Quippe rebellium etiam conscientiam verè commovebat concutiebatque. Erat gravitas in eo, quæ debitam venerationem vel, invitis extorquebat; & universa corporis ejus lineamenta regalem Imperatoriamque dignitatem referebant. Habitus & incessus decens, II. *P. Heuter. Aliique.*

motus

motus temperatus, verba cum pondere, verò, dicam, hominum, quo volebat, affectus trahebat.

Monitum. *Omninò augustus apparere, non dici tantum, Imperator debet, ut mente & specie simul regat.*

III. In ALBERTO PIO Sedem Majestas possuisse videbatur. Intueri eum sine reverentia nemo poterat, nemo sine aliquo commoti animi terrore. Imò nonnulli aliquando quasi de mente deturbati, solo eius aspectu ita percellebantur, ut protinus collaberentur. Voluit nescio quis, sed nimiâ sermonis audaciâ, cuiusdam eum insimulare, ut ubi vultum eius intuitus fuit, subito correptus horrore, temeritatis & audaciæ suæ pœnas corruendo dedit. Quod si quandoque quorundam Principum & Heroum non rectam fortasse vitæ rationem verbo uno, magis tamen vultu, perstrinxisset, ejus ipsi aspectu & sermone saucij de incolumitate periclitati sunt. Nemo eum sine horrore aliquo allocutus est, nemo sine trepidatione intuitus, nemo sine formidantis animi commotione adivit. Ipsi ejus in aulà ministri, qui adibant quotidie, qui alloquebantur, qui serviebant, nunquam tantâ assiduitate &

Ex Orat. Funeb.

quasi

quaſi familiaritate eum excludere timorem potuerunt, quem ejus celſitudinis amplitudo in eorum animis excitabat.

Ad paucos fortaſſe, quod nunc referam, emanavit, evenit tamen. Apud Henricum Quartum Franciæ Regem vir quidam illuſtri genere natus magnæ audaciæ, quod Monarchas omnes alloqui intrepidè poſſet & auderet, ſeſe iactabat. *Cui Henricus, aliter de te ſentires, ſi tibi in conſpectum Alberti Brabantiæ Ducis veniendum fortaſſis eſſet, ejus Majeſtas audaciſſimos percellit.* Nunquam, inquit ille, meum animum percellet. Neſcit hic animus cuiuſquam oculos timere. *Bene eſt*, inquit Rex, *ſed experimento opus eſt; ibis meo iuſſu Legatus ad Albertum, mandatum mox tibi expedietur, tu te itineri accinge.* *Ex certa Aulic. fide.* Paret ille, ſed Rex litteras ad Albertum celeri nuntio præmittit, & de hominis iactantiâ admonet. Vix Bruxellam appulerat, in Aulam deducitur & ad Principem, quem ubi gladio accinctum, ad menſæ latus ſedentem ſub connopæo, compoſito, ut ſolebat, ad gravitatem vultu, oculiſque & toto corpore Majeſtatem præ ſe ferentem intuitus fuit, vixdum abſolutis ſalutationis turbato iam animo ceremonijs penitus obmutuit, nec

conceptum exordiri sermonem pristinâ deficiente audaciâ potuit. Vt loqueretur iussit Princeps, sed ea vox altius ejus animum in silentium demersit. Educitur itaque non exposito mandato, & in Franciam reversus Regi suo fassus est, *nullam se in Monarchis alijs tantam; quantam in Brabantiæ Duce, Majestatem conspexisse: coram eo audaciam suam primum hæsisse. Prædixeram hoc*, inquit Rex, *tibi. Majestate Albertus Regibus præcellit.* Inde risus.

Monitum. *Decet ut Principes Majestatis gravitate amplitudineque nonnunquam quorundam audaciam frangant. Hæc custodia salutis est.*

IV Formaverat Natura CAROLVM V. ad omnem regiam Cæsareamque Majestatem. Quippe in eo vultus tanquam dignitatis quoddam theatrum, nec sine gratia; genæ succulentæ, frontis amplæ incredibilis serenitas, oculorum glaucorum, sed ad Cærulei suavitatem tendentium vigor admirabilis, nasus aquilinus veterum Heroum insigne. Adeò vultu corporeque toto dignitatem quandam augustam & amplitudinem præ se ferebat, accedentesque in admirationem trahebat.

P. Heuter. Lib. 14.

Lucanus quidem ex Luca Italiæ civitate coram eo dicturus conspectâ Majestate Cæsaris

faris subitò metu perculsus obmutuit, nec exordiri orationem potuit. Idem pluribus evenit. Quædam fulgura à Majestate sunt, & terrent.

Quæ divinitus infusa principibus Majestas est, ea suavitate quadam & mansuetudine condienda est, ut subditis audiendis accommodetur. *Monitum.*

V. In PHILIPPO Caroli Filio ea Majestas gravitasque fuit, ut Principes, qui illi quotidie adstabant, nutumque observabant, quoties in ejus vultum oculos conijcerent, toto pectore trepidarent, ac cum loqui vellent, primis in verbis deficerent. Et quidem tantam istam Majestatem non Hispani tantum, sed ipsi Indiæ Americæque populi reformidabant. Non semel coram eo exterorum Principum legati timore vel admiratione perculsi vocem amiserunt. Semel verò quidam vir sacri ordinis & Religiosus ab Indijs redux cum exponere quædam Philippo deberet, quod ita quidam in India prorex iussisset, ubi admissus in Regis conspectum fuit, omni memoriâ destitutus & interclusâ voce hæsit velut elinguis, Rex eius misertus, *Secede*, inquit paulisper, *& animum resume, mox rediturus.* Voluit *Cervera, Heuter. aliique.*

luit ille, sed perturbatus & contremiscens exitum non reperiebat, ignarus qua parte intravisset. Cui Rex è solio surgens sublatis aulæis exitum benignè ostendit.

Monitum. *In familiari consuetudine ægrè custoditur augusta de imperante opinio, cui admirationem conciliat cum veneratione timor majestatis.*

VI. Erant qui in FERDINANDO II. IMP. nimiam humanitatem reprehenderent, quod per eam majestas Cæsarea deprimeretur. Sed ipse eam benignitate temperabat, non deprimebat. Quin imò nonnullos aliquando summâ humanitate ad affatum invitabat, qui tamen Majestate elingues reddebantur. Testis est Tartarorum Regis (quem chamum vocant) legatus, qui in Ferdinandi conspectum admissus, cum loqui deberet, obmutuit. Interrogatus deindè ab Interprete, cur ita coram humanissimo Principe hæsisset? *Fulgore*, inquit, *quo Cæsaris Maiestas emicabat, sum victus.*

G. Lamor.

Monitum. *Princeps facilem ad se aditum præbere debet, sed cavere simul ne contemnatur. Nimia facilitas imperandi frangit authoritatem.*

CAPVT

CAPVT III.

De Argutijs & Facetijs

MAgnorum ingeniorum indicium argutiæ præbent & facetiæ, potißimum cum in ijs acumen & honestas. Nec Principes dedecent, in quibus ingenij quoque amœnitas requiritur Illustrant quippe Majestatem, & suavitate terrorem mitigant. Certè augustißima Gens. Astriaca tales semper Principes produxit, quos & gravitas ornaret ad regimen Imperiorum, & hilaritas ingenij ad conciliandam omnium benevolentiam componeret. Hi sunt, sed præcipui tantum.

Et inprimis ipse Gentis Austriacæ Parens RVDOLPHVS I. IMP. tam facetus fuit, I.
quàm augustus. Venerant duo ad eum Oratores & arduum planè negotium adferebant, G. de Roo
quod expediri citissimè oportebat, & hoc ipsi expositâ legatione postulabant. Vni erat barba cana sed capillus niger; alter capillo cano, sed barbâ nigrâ conspicuus. Horum tam dissimilem colorem contemplatus Rudolphus, *Non prius*, inquit, *negotium à vobis propositum absolvam,*

Amœnitate ingenij sæpè Principes amorem excitant subditorum. Monitum.

Anno supra millesimum quadringentesimum septuagesimo quinto Tercelinus Ludouici undecimi Galliæ Regis Legatus ad FREDERICVM III. Cæsarem venerat, ut ei, ne pacem cum Carolo Burgundiæ Belgijq; Principe iniret, sui Regis nomine suaderet. Hortabatur autem ut ditiones illas Belgicas, quæ Burgundo parebant, sed ad Imperij Germanici jura spectarent, occuparet; Regem suum armis Burgundiam, Flandriam, aliaque ejusmodi loca, quæ Franciæ Monarchas aliquando agnovissent, invasurum. Hoc Consilium Cæsar eleganti Apologo elusit. *Tres*, inquit, *olim Iuvenes cùm in caupona lautè tractati, unde symbolum persolverent, non haberent, hospiti promittunt ursum vicinos agros vastanetm se occisuros, cujus divenditâ pelle protinus facerent satis. Vix erant in campos egressi, obvium ursum habent, cujus terribili aspectu propemodum exanimati in fugam mox se conjciunt. Et quidem unus celeri cursu Oppidum repetit, alter in proximam arborem quasi volans ascendit, tertius cæteris vel timidior vel tardior in terram provolutus retento intra fauces spiritu mortuum se fingit. Vrsus hunc jacentem aggressus nunc ori & naribus, nunc auribus admoto rictu cùm halitum nullum* II. G. de Ror

depre-

deprehenderet, cadaver putat & abit. Paulò pòst deposito metu surgit iste mortuus, quem repente ex arbore desiliens alter socius lætus adit, rogatque sollicitè quid illi in aurē ursus insusurrasset. Et ille, Bellua ista profectò, inquit, *multò nobis est sapientior. Hoc verò monere visa est, ne inposterum cujusquam feræ pellem venderemus, antequam eam confecissemus.* Hoc responso Legatum Cæsar abs se dimisit.

Monitum. *Solertis ingenij acumine plus aliquando Principes efficiunt, quàm sollicito prudentiæ responso.*

III. Argutum MAXIMILIANI I. Cæsaris ingenium consideremus. VVladislaus Hungariæ Rex Filiam habebat ætate juvenculam, formæ excellentiâ præcellentem, quam ut Imperatricem faceret, Maximiliano, quamquam seni, conjugem obtulit. Ille verò, *Aliquando*, inquit, *ex Parente Frederico audivi, Principi ætate provecto mitiorem adferri mortem non posse, quàm si ei juvencula matrimonio jungatur. Consultius itaque videri, ut Nepotum alteri Filia ista Anna destinetur.* Argutè conjugium pro se recusavit, pro Nepote acceptavit.

P. Heuter. lib. 4.

Cùm autem idem VVladislaus ac simul Sigismundus Poloniæ Rex Viennam ad Maximilianum iter suscepissent, obviam illis ad quintum ab Vrbe lapidem magno cum apparatu

ratu processit. Vbi verò medijs in campis tres isti potentissimi Principes convenêre, & ex rhedis desilientes sese arctissimè complexi fuêre, facetè pieque sic exorsus est Cæsar, *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Mox intulit Sigismundus, *Faxit Deus hunc conventum nostrum Reipublicæ suæ salutarem.*

Rogaverant Maximilianum Amsterdamenses, cùm in fortunam majorem & opulentiam emergere inciperent, num Vrbem suam muro lateritio cingere munireque liceret. Respondit ille, *Non esse, quod vereri quicquam possint, præter intestina bella, quibus Hollandos potius, quam verâ quiete dudum delectari animadvertebat. His sublatis urbem suam serico filo circumdarent, neminem se agnoscere, qui eum unquam esset rupturus.*

Quodam tempore mendicus quidam, sed audax, Maximilianum Fratrem salutavit, & ut sibi dignam aliquam fraterno amore eleemosynam largiretur, vehementer rogavit. *At,* inquit Cæsar, *quomodo tibi sum frater?* Vbi ille ab Adami stirpe consanguinitatem hanc fusè deduxit, jussit Cæsar obolum unum duntaxat illi porrigi, adjecitque ipse, *Abi nunc, si tantundem à quolibet fratrum acceperis, crede, me divitijs brevi superabis.*

Corozetus de factis memorab.

Veneti opibus & viribus ſuis elati, Maximilianum tanquam imbellem, multò minùs ſibi parem, contemnebant. Cùmque illis manus ad arma prurirêt, Legatos ad eum ablegarunt, qui ſuperbâ hac voce bellum illi denuntiarent: *Senatus populuſque Venetus Maximiliano bellum indicit.* Nec pluribus verbis uſi ſunt Legati. Cęſar autem placido ſerenoque vultu Legatis mox ita reſpondit. *Ite, & gerite bellum ſimili ſtultitia, quâ indixiſtis.*

Monitum. *Argutè hoſtem eludere, vincere eſt; & per facetias reſpondere, aliorum eſt quandoque vel imprudentiam, vel audaciam confundere.*

IV. Solerti & amœno ingenio CAROLVM V. Cæſarem natura inſtruxerat. Poſt obitum Franciſci Sfortię cùm Gallicus Legatus Mediolanenſem Ducatum Regis ſui nomine ab eo peteret, reſpondit, *Idem mihi placet, quod Fratri meo Galliæ Regi placere intelligo.* Hoc reſponſo, cùm ea, quæ optamus, libenter credamus, Legatus Carolum aſſentiri exiſtimavit, idque ad Regem confeſtim perſcripſit. At verò Carolus Ducatum illum non minus ſibi, quam Gallo placere ſentiebat, atque idcircò non minori à ſe ſtudio retinendum, quam à Gallis expeteretur.

P. Heuter.

Monitus

Monitus aliquando in castris fuit, ut Germanorum militum ebrietati legem poneret. At ille, *ebrietatemnè Germanis interdicerem?* Perinde id foret, ac si Hispanis rapinas inhiberem, facetè omninò. Corozetus & alij.

Domesticorum quispiam conquestus aliquando apud eum fuit, quod cum plurimis annis suæ Majestatis obsequio omnem operam impendisset, minus tamen ipsi, quam cæteris, de majori celebriorique officio provideretur. Cui Carolus, *An nescis, quo soli vicinior est luna, eò minùs luminis ab eo accipiat?* Nimirum id Magnatibus usu venit, ut qui illis officio vel ministerio propinquiores sunt, à remuneratione seu promotione sint quoque remotiores. Chytræus in Orat. de vita Caroli.

Scripsit de rebus à Carolo gestis historiam Sleidanus, hanc cum legi fortè audiret, identidem dicebat, *Mèntitur nebulo. Nulla historiæ ejusmodi veritas aut fides inest, cum veritatis fideique lucem in se extinxerit.*

Principum facetiæ aculeum plerumque habent, & pungunt vehementer. Ne occasionem det Aulicus. Monitum.

Libenter verò etiam jocabatur MAXIMILIANVS II. Cæsar. Vnde cùm Aulicus quidam apud eum conquereretur, quod plebeiæ matronæ suo cultu mundoque nobilitatem V.

ſuperarent, ac proindè caſtigandum vulgi luxum eſſe; *Non audiſti*, inquit, *quod Populus Nobilium mores facilè imitetur, ac pernitie illapſa exſuperet?*

Exeim vita. *Cùm vitioſa cernis, tu vero abſtine, & oculos averte.*

E procerum numero quidam indoctus libellorum ſupplicum Magiſtros, quique erant à ſecretis accuſabat, quod nimius eorum eſſet ſplendor, & ſuperba nimis dignitas Cui Cæſar, *Quid inter Achillis & Alexandri lyram interſit, quia non didiciſti, ideo frigidè admodum accuſationem inſtituis.*

Cùm eſſet in quadam Auſtriæ urbe, ubi bubula caro non ad libram, ut in alijs urbibus receptum vendebatur, conquerentibus Aulicis, Magiſtratui Vrbano, ut querelam hanc & incommodum tolleret, mandavit. Moniti à Magiſtratu Lanij ad Cæſarem veniunt, Et mox, *Si Majeſtas tua Cæſarea*, inquiunt, *apud nos cum Aulicis ſuis degere perpetuo, ſicut Viennæ, ſtatuerit; receptum facilè morem abijciemus: aliter privilegio noſtro vi nunquam adferemus.* Riſit Cæſar, & ad ſuos converſus, *profectò*, ait, *Reges & Principes Majeſtatem ſuam nondum lanionum & carnificum rationibus permutarint.*

Agebat cum eo ſemel Vir quidam ultimæ ſenectutis, ſed qui, ut ætatem diſſimularet, canos ſuos & barbam fuſco colore obduxerat:

Quod

Quod ubi Cæsar advertit, adstantes interrogavit, *Quid hunc hominem integræ mentis ac sani consilij intus alere putarent, qui conspicua cunctis notaque obscurare nequaquam vereretur?*

Chymicus quidam florenos viginti ab eo postulabat, ut in carbones impenderet, quod exiguo subsidio thesauros comparare ingentes posset. Verborum ineptiam notavit Cæsar; *Et miror*, ait, *te jam tot annis tantillo subsidio ad Crœsi opes nondum pervenisse.* Cõtempsit ipse Chymicos sẽper & eorum rationes judicio superavit. Compendia quædam machinarum semel ostendebant, sed ipse, *Vos*, inquit, *similes ijs estis, qui ferro in hypocaustis accincti, inter pocula somnosq; acies recensent, & castra tentant. Facilis est parvorum in exemplis monstrandorum ratio, at in magnis & usu ipso longè difficillima.*

Qui videri solertes volunt, non meliùs, quàm solertiâ per jocum refelluntur. Monitum.

CAPVT. IV.

De contemptu Regnorum & divitiarum.

1. RVDOLPHVS I. Imp.	5. PHILIPPVS II. Hisp Rex.
2. FREDERICVS III. Imp.	6. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.
3. ALBERTVS V. Archidux.	7. MAXIMILIANVS I. Imp.
4. CAROLVS V. Imp.	8. FERDINANDVS II. Imp.

AVstriacorum Principum animus supra fortunam, supra Regna, & opes semper fuit. Vel idcircò magni. Benè regere, quàm opes amplificare semper maluerunt, & plus in virtute, quàm in Regnorum amplitudine posuerunt. Inviderunt illis alij Reges tam latè patens Imperium, sed inviderunt tantum, animum non cognoverunt. Nos illum exhibeamus

I. Monebat quidam è prima nobilitate RVDOLPHVM I. IMP. ut ditionum suarum pomæria extenderet, & fines amplificaret, *Meliùs est*, inquit, *benè imperare, quàm Imperium amplificare.* Quid generosius?

Nicolaus Reusnerus.

Monebo cum Horatio lib. 2. Odarum.

Monitum.

Latiùs regnes avidum domando
Spiritum, quàm si Lybiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

Per-

Percunctanti cuidam cur tanto regnandi desiderio homines incenderentur, cum tamen artes eas, quas nunquam didicerunt, libenter se nescire fateantur. Causam hanc dedit. *Quia homines eos stultos arbitrantur, qui regnare nesciunt, stultum autem se nemo judicat.* AEneas Sylvius de dictis Fred. Imp.

Aliquando cùm Regium diadema positum ante oculos suos conspexisset, hæsit diu admirabundus; tandem, *ô diadema*, inquit, *quàm blando jucundoque fulgore aspicientium oculos perstringis & ad te allicis? At verò si scirent mortales, quantum sub te molestiarum lateat, nemo etiam te humo tolleret.* Berlanch in Apoth.

Benè Horatius; *Contemptæ Dominus splendidior rei est. qui possidet magnus est, sed qui contemnit.* Monitum.

Excelsum FREDERICI III. IMP. animum jure extollet & admirabitur posteritas. Is cùm Ladislaum Hungariæ Regem adhuc puerum suâ sub tutelâ Viennæ teneret, & in Palatio suo institui, ut Principem oportebat, magna sedulitate curaret, non defuerunt, qui clam perdendum puerum esse suaderent. Ejus morte ingentes opes, & regna etiam plura acquiri posse. At Imperator, *Ego verò*, inquit, *tantopere divitias non amo, ut propter eas tam impium facinus audeam, multò minùs attentem.* Impium ejusmodi consilium generosè rejecit, quod nec 11 AEn. Sylvi. de rebus Alphon. G. de Roo.

nec

nec divino, nec humano jure liceret, legitimum Regni hæredem Regno spoliare. Bohemiæ Legatus ejus sententiæ erat, ut neglecto Ladislao pupillo Regnum ejus sibi vendicaret, quod ipsi Austriacorum maximo natu Principi id ex fœdere liceret. Sed explosit detestandam opinionem Fredericus. Impius esse, nequidem propter Regnum unum, esse voluit, nec propter plura fuisset.

Monitum. *Non laudandus est Rex, qui aliena fraudulenter possidet, sed qui propria benè administat. Fides Regno potior est.*

III. Nemo ALBERTO V. Archiduce Austriæ felicior, sed & nemo Imperiorum contemptu gloriosior. Vno eodemq; anno Hungariæ & Bohemiæ Regna obtinuit, & in Romanorum Imperatorem electus Cæsareo diademate coronatus fuit. Magnum omninò felicitatis exemplum. Quis speret totâ vitâ, quod unus illi annus attulit? Sed agnoscat posteritas contemptorem Imperij animum. Cùm Viennam appulissent Principum Electorum Legati, Electionemque de ipso factam denunciarent, & ut acceptare Imperium vellet, obtestarentur, respondit Albertus. *Satis omninò paratum mihi negotij est, qui duo Regna totque Ditiones* G. de Roo.

admini-

administrandas gubernandasque suscepi. Vnius animo vix Regi ista possunt. Si Imperij cura adyciatur, impar ero. Gratias itaque Electoribus ago; alium ad augustum istud munus aptiorem me facilè reperient. Hoc illis, Legati renuntiate. Hæserunt insperato responso attoniti primum legati, mox cùm intelligerent promisisse Albertum Hungaris, nunquam se sine eorum consensu, oblatum etiam ultrò Imperium, acceptaturum id egerunt magna contentione sedulitateque ut illi in Germanorum gratiam assentirentur, fidemque Alberto resignarent. Demum ad eum reversi ita expugnare animum ejus sunt aggressi cum precibus, tum omnium exspectatione, ut ipse è concilij loco digressus magnam lachrymarum vim effuderit, ac tandem reversus Principum electionem ratam habuerit.

Cogi ad imperandum debent, qui electi recusant; repelli, qui ambiunt. Majoris virtutis est, recusare, quam accipere. **Monitum.**

IV. CAROLVS V. IMP. cùm urgeretur, ut ad Imperium aspiraret, veritus ne Franciscum primum Galliæ Regem eâ sollicitatione offenderet, quod is quoque Imperium ambire diceretur, suum illi animum aperuit. Respondit Rex Franciscus, *nihilo magis se offensum iri quam si duo virginem unam ambirent; pergeret proinde bonis avibus, Deum* *Sur. in Co.*

 feliciori

feliciori adfuturum. Felicior fuit Carolus, quem Principum Electorum calculi Cæsarem elegerunt.

Quid, quod oblatum ultrò à Paulo III. Pontifice Maximo *Maximi fortissimique* cognomen admittere recusavit? Illi in conscientia gloriæ theatrum erat.

Monitum. *Quo quis propius ad virtutem accedit, eò longius inanis gloriæ auram fugit.*

Quanquam plura Carolus à se dimisit, quam alij acquisiverunt. Et ut infrà virtutem suam Imperia regnaque mundi esse ostenderet, nihil sibi tandem retinuit. Magnâ cum laude in Imperio & tot regnis vixit; majore obijt, qui sine Imperio & regnis vitam finivit. Ambiant alij, Carolus contempsit.

V. Prudentissimus Regum non immeritò suâ ætate PHILIPPVS II. Hispaniarum Rex est dictus. Regis vitam conditioni textoris similem esse dicebat. Labor omnino ingens textoris, & qui hominem totum requirit. Quippè laborat brachijs, manibus pedibus, oculis telæ perpetuò affixis, animo per tot fila distracto, quorum nunc hoc rumpitur, nunc illud implicatur, & confestim adesse oculi manusque debent: Quod si quispiam fortasse filum transversum

versum præscindat, quicquid orsum est laxatur retexiturque. Regis labor maximus quoque & perpetuus. Cor in varia multipliciaque fila divisum est, & adesse illi manus oculique semper debent. Filum unum in Hispania est, alterum in Italia, tertium in America, quartum in Belgio. Vnumquodque totam exigit inspectionem, industriam, laborem. Filum fortè unum in Italia rumpitur? religandum est. In America laxatur? concionandum est. In Belgio implicatur? providendum est, ne malè tota tela uniatur. Alibi dissolvitur? retexendum est. Ita Rex semper affligitur, & in concinnanda perficiendaque regni telâ, totus, dum vivit, occupatur. *Cervera & alij plures.*

Nihil speciosius, quam regnare, nihil laboriosius, quam benè regnare. Tot ferè labores, quot subditi; tot difficultates, quot urbes; tot pericula gravissima, quot Regna *Monitum.*

VI.

Quis neget ALBERTO PIO Belgarum Principi animum supra Imperia & Regna fuisse? Meruerat militari togataque virtute Romani Imperij diadema; hoc erat Principum Electorum de eo judicium. Sed animus ejus tam expers ambitionis erat, ut ultrò bis oblatum respuerit. Coaluerant in illo summa magnitudo, & summa modestia, diversæ omninò, & ferè semper adversæ virtutes. Hæreditario succes- *Scrib & Orat. Fun.*

ſionis jure devoluta ad eum erant Regna Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Boſniæ, Serviæ, Halitiæ, Vlodomiriæ, Cumaniæ, & Bulgariæ: Archiducatus Auſtriæ, Ducatus Sileſiæ, Marchionatus Moraviæ, Luſatiæ, & Burgaviæ; Comitatus Hasburgi, Tyrolis, & Ferettæ; Principatus Sueviæ; Lantgraviatus Alſatiæ; Marchia Tergeſtina & Portus Naonis.

Quid ipſe? Ferdinando II. Patrueli ſuo & Cæſari inaugurato, quod obſtupeſcet omnis ætas, munificentiâ nullis antè ſæculis auditâ, dono dedit. Parem animum, audeo dicere, nemo reperiet.

Monitum. *Plus eſt regno dignum videri, quàm regnum poſſidere, & Regem eſſe. Rex eſt, qui ſui eſt potens & ſupra ambitionem.*

VII. Poſſet contemptor opum MAXIMILIANVS I. appellari. Nullum apud ſe ærarum acervum patiebatur. Dicebat enim, *Hominum mihi, non opum demandata cuſtodia eſt. His ſi vel ſemel caperer, ilicò è Rege ſervus fierem.*

Iac. Spieg.

Monitum. *Servus eſt, qui cupiditati & avaritiæ ſervit. Rex eſt.*

Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos. Horat. lib. 2.

VIII. De FREDERICO II. Cæſare dici nihil, niſi

nisi quod admirationem superet, potest. Cùm animadverteret tot quotidiè Regnis suis & Imperio hostes insidiari, & eas machinas adhibere, quibus è Solio deturbaretur, *Tantine*, inquiebat, *est diadema? Ego verò libenter & sceptrum & diadema deponam, si meliorem me Imperio præficere cœleste Numen decreverit. Quippè non alio Consilio Imperij coronam suscepi, quàm ut Dei gloriam, non meam, augerem, bonoque publico prodessem. Aliter in mei electionem non consensi.* G. Lamor.

Cùm in Vrbe Pragensi Conjugis Eleonoræ & Ferdinandi Filij inaugurationi interfuisset, spectassetque juvenum Academicorum scenam, *Inter Reges veros*, aiebat, *& istos scenicos hoc tantum reperio discrimen, quod hi horâ unâ aut alterâ regnent, isti annis aliquot. Vtrorumque gloriam tempore tantum differre.*

Iam verò aurum & quicquid mortales suspiciunt non aspernabatur tantum, sed etiam irridebat. Si quid fisco propter rebellionem aut discrimen aliud accessisset, nihil sibi de eo retinebat. *Aurum*, inquiebat, *eo apud me loco est, quo lutum. Nisi benè meritis statuenda ex auro argentove præmia essent, nunquam mihi de metallis ullis cogitandum putarem.*

Ærarium in Republica necessarium est, sed ex quo belli Monitum.

subsidia parentur, pacis ornamenta procurentur, benè meritis præmia solvantur.

CAPVT V.

De Bello & Pace.

1. FERDINANDVS I. Imp.
2. CAROLVS V Imp.
3. MAXIMILIANVS II. Imp.
4. ALBERTVS PIVS Bel. Prin
5. ALBERTVS II. Aust. Dux.
6. RVDOLPHVS I. Imp.

BEllum Austriaci Principes nunquam, nisi necessarium susceperunt; pacem semper amaverunt, & optaverunt. Illud fortiter administrarunt, hanc integrè, candideq; servarunt. Et quoniam non tam belli, quàm pacis artibus, eorum potentia crevit, ideò pacem bello omni ætate anteposuerunt.

I. FERDINANDVS I. IMP. etsi Ditionem VVitebergensem à Ferdinando Suevico accepisset, & Carolus V. Cæsar in Comitijs anno CIƆ.IƆ.XXX. solemni splendorum ritu illi concessisset, eam verò Dux Vbricus tum exul & Philippus Cattorum Princeps armis occupassent, permisit tamen intercedentibus Saxoniæ Ducibus, alijsque Imperij Principibus, ut amicè controversia componeretur. Fuit ejusmodi compositio concordiaque, ut Vbricus feudi possessionem retineret, jus supremum seu domi-

G. de Roo

dominium penes Austriæ Archiduces remaneret. Concordiæ acquievit Ferdinandus.

De suo jure cedere aliquando Principes aliquid debent, & publicæ paci tranquillitatique magis quàm privatis commodis consulere. Monitum.

CAROLVS V. IMP. dicere frequenter solebat, *In componendo exercitus corpore, sumendum caput ab Italis, brachia & manus ab Hispanis, pectus à Germanis, cætera membra ex reliqua Gentium colluvie.* Addebat rationem, quod ingeniosi & prudentes sint Itali, pugnaces Hispani, fideles & robusti Germani, aliæ nationes etiam strenuæ. Equidem nervos belli pecuniam, commeatum, milites esse censebat, *Verum*, inquiebat, *si ex iis eligendum unum esset, milites veteranos eligerem, quorum industriâ fortitudineque reliqua duo ex hostium agro mihi compararem.* Cùm propinquis castris Franciscus I. Galliæ Rex pugnam semper detrectaret, *Vtinam*, aiebat, *Gallo vel plus audaciæ & felicitatis esset, vel minus verborum & odiorum.* II. Ex Panegiricis & Or. Funeb. & histor. aliis.

Audierat semel Principem quendam, cujus non magna potentia esset, bellum præparare ac movere omninò velle, *Ignorat*, inquit, *ille Princeps, quid ad bellum requiratur.*

Venetorum Legatus quodam in congressu apud Proceres Carolum tarditatis ad arma

sumenda

sumenda insimularat. Id ubi intellexit, nec offensus, nec turbatus, *Nunquam*, inquit, *mundus à bellis quiesceret, imò respirare nunquam posset, si eâ celeritate, quàm res & causæ plerumque postulant, bella confestim moverem.*

Germani Principes Sectarij fœderatæque Civitates Castra sua longissimo ad vicinos Ingolstadio montes spatio extenderant. Vidit illa Carolus, & ab astantibus sibi quæsivit, *Num isti omnes Germani essent*. Affirmantibus illis, *Benè est*, inquit, *citò illis & Consilium deerit, & pecunia concordiáque.*

Positis ad Landresium Cæsaris Castris Mauritius Saxo, Iuvenis Princeps & animosus, etsi emissi è machinis hostilibus globi passim volitarent, apertis in campis magnâ audaciâ confidentiâque subinde vagabatur. Monuit eum Carolus, ut in ejusmodi periculo cautior esset, *Non omnes*, inquiebat, *inter tormentorum ictus tutò versandi rationem tenent. sæpè momento perit, qui nimium confidit.*

Verum, quanquam fortunatissimus in bello Carolus esset, pacem tamen bello semper anteponebat. Vnde cum VVormatiæ in Comitijs esset, intelligeretq; bellum sibi in Belgio, Italia, Hispaniaque moveri, palam co-

Sur. & Zenocar. lib. 1.

ràm

ram Imperij Proceribus testatus est, *Ad bellum & arma capessenda invitum se cogi. Interim rem omnem Deo se committere; vel idcircò autem maximo se dolore affici, quod Turcis in Germaniam aditus aperiretur.*

Dicebat frequentissimè etiam, quod si Galliæ Regem in belli adversus Turcas suscipiendi societatem adducere posset, seu fœdere aliquo, seu affinitate, summam & ultimam Christianæ Reipublicæ operam libenter impenderet. Omninò nihil aliud, quàm Gallicam pacem optabat. Imò cœleste Numen obtestabatur, ut si id ipsi negaretur, Filio saltem Philippo, aut Familiæ suæ Posteritatique concederetur. Nunquam se ea Consilia daturum, quæ Gallicam pacem disturbarent.

Cùm in Comitijs Germanicis sæpius de Religionis & belli adversus Turcas gerendi ratione frustra egisset, *diæta diætam parit*, aiebat, & *partus suffocat Matrem.*

Pacis artibus gloriosior Rex est, quam multis de hoste victorijs & triumphis. Monitum.

III.

MAXIMILIANVS II. IMP. cùm rogaretur à Principe viro, ut exortam inter duos Fratres discordiam, quæ levi ex causa incrementum quotidie sumebat, crescebatq; compesceret, respondit, *rotam ad cuiuscumque motum faci-*

lem se præbere, sed à concitato ferventique cursu omnes libenter manus cohibere. Non se tamen Majestati defuturum, nec supplicis precibus.

Monitum. *Facile est discordiam movere, at terminare admodum difficile.*

IV. ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps, verè prudentissimus, cum nequaquam expedire sciret, ut Belli Imperium apud plures cùm summa auctoritate resideret, sed unum omnium caput in armis esse debere, etsi Bella non uno loco arderent, unius Ambrosij Spinolæ ductu sua geri Bella voluit. *Nam*, ut dicebat, *Quæ unius Regis ærario Bella geruntur; unius etiam Ducis Imperio debent administrari, quamdiu unius Imperium locorum vicinitas permittit.*

Monitum. *Non facile sub diversis Belli Ducibus, ijs succurritur, qui subsidio egent, Nec unquam in unum ærarium plurium exercituum Imperatores conspirant, nec tamen ærarium dividi consultum est.*

In celebri illa Ostendæ oppugnatione vetuerat ipse, ne quis certos limites transiret, qui fascem aggeribus vallisque componendis non deferret. Quodam die cum illius loci custodia gregario militi Belgæ obvenisset, transire Albertus ipse, & quidem sine fasce, meditabatur. Negat miles cuiquam non onusto transitum se per-

ſe permiſſurum. Princeps blandè militem compellat, & ut ſibi tranſire liceat, obteſtatur. Perſtat negando miles, fortior rogando Princeps. Stetit inde longa inter Principem & militem contentio; blandæ erant illius preces, fortes hujus negationes. Cedere Albertus debuit, qui ubi faſce humeros oneravit, tranſitum tandem impetravit. Vinci Princeps, quam vincere maluit; collaudavit amplè militem, & inſigni ſtipendiorum auctario donavit, quod pro militaris diſciplinæ legibus, & ſuorum Imperio Ducum fortiter ſteti ſſet, nec Principi ipſi peperciſſet. *Scrib. in Polit. Chri.*

Diſciplinæ militaris ſumma in Imperij obſervatione conſiſtit; hoc ſi ſpretum fuerit, illa corruet. **Monitum.**

ALBERTVS II. Auſtriæ Dux antequam ad Imperium eveheretur, cùm ad Bellum illud, quod adverſus Bohemos geſſit, ſeſe accingeret, rogatus eſt à ſuis, quem præficere Ducem copijs vellet, Et ipſe, *Si alium,* inquit, *quam me exercitus imperatorem petitis fruſtra me Auſtriæ Ducem appellatis.* V. *Cuſpinian. G. de Roo*

Magna victoriæ pars eſt, Dux ipſe ſeu Rex in exercitu præſens. **Monitum.**

RVDOLPHVS I. IMP. Bello ſtrenuiſſimus, ſed pacis amantior fuit, nec aliud quam VI.

hanc bello quæsivit. Vnde cùm Ottocarum Bohemiæ Regem acie profligasset, pacem cum ejus liberis certissimam sanxit, affinitate firmavit. Voluit enim à filio suo Rudolpho Agnetam Ottocari filiam Duci; Guttam autem filiam suam VVenceslao Ottocari filio matrimonij vinculo conjunxit. Ita inter eos arcta affinitas pacis conciliatrix; inter Rudolphum & Bohemos parta cum fœdere tranquillitas.

Qui aliud Bello, quam justitiam & pacem quærit non bellum sed latrocinium gerit. Belli finis est pax.

Imitatus Rudolphum Carolus V. qui captum Galliæ Franciscum I. ad Papiam urbem, regno non tantum restituit, sed etiam, ut affinitate sibi devinciret, Sororem suam Leonoram illi conjugem dedit.

Et quoniam ad Carolum Stylus redijt, addamus hoc quoque. Cùm aliquando Rhenum traijciens quæreret ab Aulico Principe, cur majores nostri Arces & Castella in excelsis montibus exstruxissent, responderet autem ille, *munitiores illis Arces in editis locis visas fuisse*, sententiam suam dixit Cæsar. *Nimirum Rectius eas in plano loco constitui, atque idcircò, quod aquarum commoditas sit maior, commeatuum invehendorum, tormen-*

torum

...e Reo. *...onitum.* *...tatum de Carolo V.* *Ex varijs ...elationib.*

torum & aggerum constituendorum facilior oportunitas. Sed nunc, addebat, quidam sub terra munitiones ædificant, ut inferis sint propinquiores.

CAPVT VI.

De recreationibus, venatione & artibus quibusdam.

1. FREDERICVS III. Imp.	7. FERDINANDVS I. Imp.
2. ALBERTVS IV. Dvx Aust.	8. MAXIMILIANVS II. Imp.
3. ALBERTVS II. Imp.	9. RVDOLPHVS II. Imp.
4. MAXIMILIANVS I. Imp.	10. MATTHIAS I. Imp.
5. CAROLVS V. Imp.	11. FERDINANDVS II. Imp.
6. PHILIPPVS I. Hisp. Rex.	12. ALBERTVS III. Dvx Aust.

CVm mortalium vita in remissionem ac studium sit divisa, Principes Austriaci otium & Reipublicæ curam ita miscuerunt, ut ex otio animorumque relaxatione nullum rebus gerendis impedimentum adferretur. Porrò cùm major sit post odia virtus, & ipsa quies, seu etiam animi relaxatio vires instillet, nemo reprehendet, si aliquando à rerum tractatione animum ad otium vel recreationem revocarit. Fuit illis otium labor, & in otio negotium invenerunt. Sic quiescere quandoque voluerunt, non tamen desidere, aut flaccescere. Propono eorum recreationes & diverticula.

I. FREDERICVS III. IMP. cùm otium aliquod Imperij res permitterent, rem metallicam tractabat, eâque vehementer delectabatur. Non indigna Cæſare ea tractatio fuit, quæ & oblectationem adferret, & uſum ad Reipublicæ utilitatem referret. Idem magnam ex hortis voluptatem hauriebat, nec eos perambulando tantum, ſed herbarum naturam perſcrutando. Quâ in re ita profecit, ut ſuæ ætatis Medicos fruticum notitiâ, facilè ſuperaret. Cum alij quidam Principes ſaltatione ſeu tripudijs recrearentur, dicere ſolebat, *Malle ſe febri torqueri, quàm operam dare ſaltationi.* Vnde in Italiam profectus cum Leonora Auguſta, poſtquam ad agrum Florentinum pervenit, apud Sanctum Miniatum choream puellarum agreſtium, quæ ſaltitando nudas tibias genuaque oſtendebant, fortè reperit, mox verò ad Auguſtam, *Eamus*, inquit, *meretricum hic ludus eſt, non virginum.*

G. de Roo. Cuſpin.

Monitum. *Hortum pro delicijs colere, arborum & plantarum naturam exquirere etiam imperatorium eſt.*

II. Fuit ALBERTVS IV. Dux Auſtriæ Architectus ingenioſiſſimus, & quotieſcunq; otiũ ſuppetebat, dolare, torno polire ligna, aliaq; id genus proprijs manibus facere, mirum in

modum

modum gestiebat. Hoc illi frequens exercitium, nec Principe indignum, cum & corpus hoc labore exerceret, & vacuas sibi horas nequaquam relinqueret. Naturam sequebatur, ad hoc ipse factus. *G. de Roo.*

Expedit honestis artibus otium potius occupare, quàm tempus otio perdere. *Monitum.*

III. Venationem, tanquam virilem exercitationem, amavit & exercuit semper ALBERTVS II. IMP. Quippe dicere solebat, *Se voluptate quavis alia carere posse, venatione non posse.* Habet illa quandam cum arte militari similitudinem, & est quoddam ejus rudimentum. *Cuspin.*

Æstum, frigus, famemque venando perferre, membra laboribus assuefacere, saltus pererrare, & locorum ingenia perdiscere, hoc est ad militiam rudimento sese componere. *Monitum.*

IV. Solo venationis exercitio MAXIMILIANVS I. Cæsar vehementer capiebatur, cui adeò deditus fuit, ut frigora & æstum juxta poneret. Nulla ei jucundior remissio videbatur, quàm lustrare saltus, cubilibus feras excutere, montium juga superare, & horrentibus scopulis gradum inferre. Venit semel in vitæ discrimen, de quo nos lib. 1. diximus, sed, credo, ut divina erga eum benignitas eluceret non sine miraculo. *Steph. Pyr. in Hercule prodicio.*

Seria

Monitum. *Seria Principum hominibus gubernandis negotia esse debent, ludicra belluis persequendis. Istis prosunt alijs, his sibi.*

V. Excelsus CAROLI V. Cæsaris animus non nisi excelsis delectabatur. Alta indoles alta quærit. In castris ipsis & medio belli ardore syderum doctrinâ recreabatur, & cœlestium revolutionem leges periodosque magna cum voluptate considerabat. Regiarum virtutum imaginibus admodum delectabatur, sed quæ â Sole, Luna, motibus syderum sumerentur. Inde certa quædam acroamata formabat. Aliqua subjungo.

1. *Quemadmodum Sol in cœli fastigio tardissimè movetur, & æquè inopi divitique lucet, ita Principes Austriacos ad Imperij fastigium evectos decet cunctanter agere, consilia non præcipitare, omnia circumspicere, justitiæ clementiæque lucem summis ac infimis pariter præbere.* Zanocar. & Alij.

2. *Sicut Solis deliquia futuras portendunt Regnorum mutationes aut calamitates; ita Regum errores, etsi parvi, magnam in humanis rebus pariunt perturbationem.*

3. *Vt Luna vim suam in hoc elementari orbe efficacius exercet, quia terræ propinquior est; ita Regum præsentia vicinitasque cum in bellicis motibus, tum in togata Reipublicæ administratione momenti plurimum habet.*

4. *Sicut fulmen cera lanâque illæsâ, æs ferrum liquefacit; hic Re-*

hic Regum potentia supplicibus parcendo cedit, sternit autem rebelles.

Quemadmodum lumen in Luna mensibus singulis accresçit decrescitque, nec ver est semper aut æstas; ita Regum Consilia in hac perpetua rerum vicissitudite variari mutarique necesse est. 5.

Hæc Monita sunt heroica, nec aliud addo. Quàm pulchrum est, versari subinde in astris Principes, qui astrorum Rectoris in terra sunt vicarij;

Siquis unquam in venatione summam cœpit voluptatem, fuit PHILIPPVS I. Hispaniæ Rex, Belgarum Princeps, Maximiliani I. Cæsaris Filius, sed ista ei exitio voluptas fuit. Quippè cùm in Hispania semel maximos cervos venando prostravisset, ut erat calore fervens copiosiore potu sitim restrinxit, hocque modo lethaliter pulmonem affecit, & nimio jecur calore succendit. Secuta paulò post mors fuit. Ita rem se habere in cadaveris anatomia Medici compererunt. VI. *Ex eius vita.*

Sæpius mors, unde non putabas, accidit; & qui voluptati indulget, mortem non raro sibi accersit. *Monitum.*

Fuit & amantissimus venationis FERDINANDVS I. IMP. verum ut in isto remissionis ejusmodi otio nec disciplinæ militaris, VII.

 nec ar-

nec armorum oblivisceretur. Edixerat sub gravibus pœnis, & quidem sub oculorum jactura, nequis agrestium venando feras persequeretur. Deprehensus Agricola quidam fuit, & ad Cæsarem adductus, nec diffitebatur. Vnde pronunciatâ in illum sententiâ, ut secundum edictum oculis privaretur. Publico Ministro, ut exequeretur mandatum. Erat hic in procinctu, cùm Cæsar dimitti reum incolumem jubet. *Nolo*, inquit, *belluam ratione destitutam cum homine conferri. Et omninò indignum esset, hominem belluæ unius causâ, tam necessario vitæ instrumento privari.* Metum inijcere Imperator voluit, non hominem perdere.

In Com. Annalium Germanor

Monitum. *Tanti facere Principes animorum suorum relaxationes non debent, ut hominum dignitatem cum bestijs facilè commutent.*

Idem curis publicis defatigatus, recreabat se contemplatione admirandæ harmoniæ in corporibus cælestibus. Proinde quotiescunque vacuum illi tempus erat, cum præstantissimis Mathematicis disserebat accuratè & eruditè.

VIII. MAXIMILIANVS II. IMP. & venatione, & astronomicis rebus libenter recreabatur. Quibusdam frequentius ad venationem evolantibus

lantibus dicere solebat, *Egregiam & Principe dignam exercitationem venationem esse. Minimum lædi homines, quando cum belluis negotium esset, dummodo ne ludicris seria elabantur, quæ nullâ opimâ ferarum cæde sarciri possunt.* Invita eius.

Principum relaxationes modum habere debent, ut quæ tempora Reipublicæ negotijs destinata sunt, nequaquam negligantur. Monitum.

Multa equidem astris tribuebat, tanquam causarum adjumentis. Cuidam autem Cypriano Bohemo nimiam crudelitatem exprobravit. Quæsivit ab eo, an ijs, qui apud Cannas insigni clade simul concidissent, eundem exitum natale astrum comminatum fuisset? Item, an qui ingenio excellunt, rariorum vi syderum eadem die in lucem editi essent? si non, non esse fatalia astris adscribenda.

Nemo RVDOLPHI II. Cæsaris animi remissiones jure reprehendat. Pictor erat, & Aurifaber ingeniosissimus. Testes sunt tabulæ, quibus Apelles meliores vix dedisset. Intuentibus ars quædam plusquam humana & industria obijciebatur. Quid, quod auream coronam mensamque ex solis gemmis confecit? Industriæ hoc opus fuit & ingenij non vulgaris. Sed & horologiorum tantus Artifex extitit, ut IX. Ex Funeb. Orat.

 tit, ut

ſionis jure devoluta ad eum erant Regna Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Boſniæ, Serviæ, Halitiæ, Vlodomiriæ, Cumaniæ, & Bulgariæ: Archiducatus Auſtriæ, Ducatus Sileſiæ, Marchionatus Moraviæ, Luſatiæ, & Burgaviæ; Comitatus Hasburgi, Tyrolis, & Ferettæ; Principatus Sueviæ; Lantgraviatus Alſatiæ; Marchia Tergeſtina & Portus Naonis.

Quid ipſe? Ferdinando II. Patrueli ſuo & Cæſari inaugurato, quod obſtupeſcet omnis ætas, munificentiâ nullis antè ſæculis auditâ, dono dedit. Parem animum, audeo dicere, nemo reperiet.

Monitum. *Plus eſt regno dignum videri, quàm regnum poſſidere, & Regem eſſe. Rex eſt, qui ſui eſt potens & ſupra ambitionem.*

VII. Poſſet contemptor opum MAXIMILIANVS I. appellari. Nullum apud ſe earum acervum patiebatur. Dicebat enim, *Hominum mihi, non opum demandata cuſtodia eſt. His ſi vel ſemel caperer, ilicò è Rege ſervus fierem.* (Iac. Spieg.)

Monitum. *Servus eſt, qui cupiditati & avaritiæ ſervit. Rex eſt*

Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos. Horat. lib. 2.

VIII. De FREDERICO II. Cæſare dici nihil, niſi

nisi quod admirationem superet, potest. Cùm animadverteret tot quotidiè Regnis suis & Imperio hostes insidiari, & eas machinas adhibere, quibus è Solio deturbaretur, *Tantine*, inquiebat, *est diadema? Ego verò libenter & sceptrum & diadema deponam, si meliorem me Imperio præficere cœleste Numen decreverit. Quippè non alio Consilio Imperij coronam suscepi, quàm ut Dei gloriam, non meam, augerem, bonoque publico prodessem. Aliter in mei electionem non consensi.* G. Lamor.

Cùm in Vrbe Pragensi Conjugis Eleonoræ & Ferdinandi Filij inaugurationi interfuisset, spectassetque juvenum Academicorum scenam, *Inter Reges veros*, aiebat, *& istos scenicos hoc tantum reperio discrimen, quod hi horâ unâ aut alterâ regnent, isti annis aliquot. Vtrorumque gloriam tempore tantum differre.*

Iam verò aurum & quicquid mortales suspiciunt non aspernabatur tantum, sed etiam irridebat. Si quid fisco propter rebellionem aut discrimen aliud accessisset, nihil sibi de eo retinebat. *Aurum*, inquiebat, *eo apud me loco est, quo lutum. Nisi benè meritis statuenda ex auro argentove præmia essent, nunquam mihi de metallis ullis cogitandum putarem.*

Ærarium in Republica necessarium est, sed ex quo belli Monitum.

subsidia parentur, pacis ornamenta procurentur, benè meritis præmia solvantur.

CAPVT V.

De Bello & Pace.

1. Ferdinandvs I. Imp.
2. Carolvs V Imp.
3. Maximilianvs II. Imp.
4. Albertvs Pivs Bel. Prin
5. Albertvs II. Aust. Dux.
6. Rvdolphvs I. Imp.

BEllum Austriaci Principes nunquam, nisi necessarium susceperunt; pacem semper amaverunt, & optaverunt. Illud fortiter administrarunt, hanc integrè, candideq́ servarunt. Et quoniam non tam belli, quàm pacis artibus, eorum potentia crevit, ideò pacem bello omni ætate anteposuerunt.

I. Ferdinandvs I. Imp. etsi Ditionem VVitebergensem à Ferdinando Suevico accepisset, & Carolus V. Cæsar in Comitijs anno CIↃ.IↃ.XXX. solemni splendorum ritu illi concessisset, eam verò Dux Vbricus tum exul & Philippus Cattorum Princeps armis occupassent, permisit tamen intercedentibus Saxoniæ Ducibus, alijsque Imperij Principibus, ut amicè controversia componeretur. Fuit ejusmodi compositio concordiaque, ut Vbricus feudi possessionem retineret, jus supremum seu domi-

G. de Roo

dominium penes Austriæ Archiduces remaneret. Concordiæ acquievit Ferdinandus.

De suo jure cedere aliquando Principes aliquid debent, & publicæ paci tranquillitatique magis quàm privatis commodis consulere. Monitum.

CAROLVS V. IMP. dicere frequenter solebat, *In componendo exercitus corpore, sumendum caput ab Italis, brachia & manus ab Hispanis, pectus à Germanis, cætera membra ex reliqua Gentium colluvie.* Addebat rationem, quod ingeniosi & prudentes sint Itali, pugnaces Hispani, fideles & robusti Germani, aliæ nationes etiam strenuæ. Equidem nervos belli pecuniam, commeatum, milites esse censebat, *Verum*, inquiebat, *si ex ijs eligendum unum esset, milites veteranos eligerem, quorum industriâ fortitudineque reliqua duo ex hostium agro mihi compararem.* Cùm propinquis castris Franciscus I. Galliæ Rex pugnam semper detrectaret, *Vtinam*, aiebat, *Gallo vel plus audaciæ & felicitatis esset, vel minus verborum & odiorum.* II. Ex Panegiricis & Or. Funeb. & histor. alijs.

Audierat semel Principem quendam, cujus non magna potentia esset, bellum præparare ac movere omninò velle, *Ignorat*, inquit, *ille Princeps, quid ad bellum requiratur.*

Venetorum Legatus quodam in congressu apud Proceres Carolum tarditatis ad arma sumenda

ſumenda inſimularat. Id ubi intellexit, nec offenſus, nec turbatus, *Nunquam*, inquit, *mundus à bellis quieſceret, imò reſpirare nunquam poſſet, ſi eâ celeritate, quàm res & cauſæ plerumque poſtulant, bella confeſtim moverem.*

Germani Principes Sectarij fœderatæque Civitates Caſtra ſua longiſſimo ad vicinos Ingolſtadio montes ſpatio extenderant. Vidit illa Carolus, & ab aſtantibus ſibi quaſivit, *Num iſti omnes Germani eſſent.* Affirmantibus illis, *Benè eſt*, inquit, *citò illis & Conſilium deerit, & pecunia concordiaque.*

Poſitis ad Landreſium Cæſaris Caſtris Mauritius Saxo, Iuvenis Princeps & animoſus, etſi emiſſi è machinis hoſtilibus globi paſſim volitarent, apertis in campis magnâ audaciâ confidentiâque ſubinde vagabatur. Monuit eum Carolus, ut in ejuſmodi periculo cautior eſſet, *Non omnes*, inquiebat, *inter tormentorum ictus tutò verſandi rationem tenent. ſæpè momento perit, qui nimium confidit.*

Verum, quanquam fortunatiſſimus in bello Carolus eſſet, pacem tamen bello ſemper anteponebat. Vnde cum VVormatiæ in Comitijs eſſet, intelligeretq; bellum ſibi in Belgio, Italia, Hiſpaniaque moveri, palam co-

Sur. & Zenocar. lib. 1.

ram

ram Imperij Proceribus teſtatus eſt, *Ad bellum & arma capeſſenda inuitum ſe cogi. Interim rem omnem Deo ſe committere; vel idcircò autem maximo ſe dolore affici, quod Turcis in Germaniam aditus aperiretur.*

Dicebat frequentiſſimè etiam, quod ſi Galliæ Regem in belli adverſus Turcas ſuſcipiendi ſocietatem adducere poſſet, ſeu fœdere aliquo, ſeu affinitate, ſummam & ultimam Chriſtianæ Reipublicæ operam libenter impenderet. Omninò nihil aliud, quàm Gallicam pacem optabat. Imò cœleſte Numen obteſtabatur, ut ſi id ipſi negaretur, Filio ſaltem Philippo, aut Familiæ ſuæ Poſteritatique concederetur. Nunquam ſe ea Conſilia daturum, quæ Gallicam pacem diſturbarent.

Cùm in Comitijs Germanicis ſæpius de Religionis & belli adverſus Turcas gerendi ratione fruſtra egiſſet, *diæta diætam parit*, aiebat, & *partus ſuffocat Matrem.*

Pacis artibus glorioſior Rex eſt, quam multis de hoſte victorijs & triumphis. Monitum.

III.

Maximilianvs II. Imp. cùm rogaretur à Principe viro, ut exortam inter duos Fratres diſcordiam, quæ levi ex cauſa incrementum quotidie ſumebat, creſcebatq; compeſceret, reſpondit, *rotam ad cuiuſcumque motum faci-*

lem se præbere, sed à concitato ferventique cursu omnes libenter manus cohibere. Non se tamen Majestati defuturum, nec supplicis precibus.

Monitum. *Facile est discordiam movere, at terminare admodum difficile.*

IV. ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps verè prudentissimus, cum nequaquam expedire sciret, ut Belli Imperium apud plures cùm summa auctoritate resideret, sed unum omnium caput in armis esse debere, etsi Bella non uno loco arderent, unius Ambrosij Spinolæ ductu sua geri Bella voluit. *Nam*, ut dicebat, *Quæ unius Regis ærario Bella geruntur; unius etiam Ducis Imperio debent administrari, quamdiu unius Imperium locorum vicinitas permittit.*

Monitum. *Non facile sub diversis Belli Ducibus, iis succurritur, qui subsidio egent, Nec unquam in unum ærarium plurium exercituum Imperatores conspirant, nec tamen ærarium dividi consultum est.*

In celebri illa Ostendæ oppugnatione vetuerat ipse, ne quis certos limites transiret, qui fascem aggeribus vallisque componendis non deferret. Quodam die cum illius loci custodia gregario militi Belgæ obvenisset, transire Albertus ipse, & quidem sine fasce, meditabatur. Negat miles cuiquam non onusto transitum se per-

ſe permiſſurum. Princeps blandè militem compellat, & ut ſibi tranſire liceat, obteſtatur. Perſtat negando miles, fortior rogando Princeps. Stetit inde longa inter Principem & militem contentio; blandæ erant illius preces, fortes hujus negationes. Cedere Albertus debuit, qui ubi faſce humeros oneravit, tranſitum tandem impetravit. Vinci Princeps, quam vincere maluit; collaudavit amplè militem, & inſigni ſtipendiorum auctario donavit, quod pro militaris diſciplinæ legibus, & ſuorum Imperio Ducum fortiter ſtetiſſet, nec Principi ipſi peperciſſet. *Scrib. in Polit. Chri.*

Diſciplinæ militaris ſumma in Imperij obſervatione conſiſtit; hoc ſi ſpretum fuerit, illa corruet. *Monitum.*

V. ALBERTVS II. Auſtriæ Dux antequam ad Imperium eveheretur, cùm ad Bellum illud, quod adverſus Bohemos geſſit, ſeſe accingeret, rogatus eſt à ſuis, quem præficere Ducem copijs vellet, Et ipſe, *Si alium,* inquit, *quam me exercitus imperatorem petitis fruſtra me Auſtriæ Ducem appellatis.* *Cuſpinian. G. de Roo*

Magna victoriæ pars eſt, Dux ipſe ſeu Rex in exercitu præſens. *Monitum.*

VI. RVDOLPHVS I. IMP. Bello ſtrenuiſſimus, ſed pacis amantior fuit, nec aliud quam

hanc bello quæsivit. Vnde cùm Ottocarum Bohemiæ Regem acie profligasset, pacem cum ejus liberis certissimam sanxit, affinitate firmavit. Voluit enim à filio suo Rudolpho Agnetam Ottocari filiam Duci; Guttam autem filiam suam VVenceslao Ottocari filio matrimonij vinculo conjunxit. Ita inter eos arcta affinitas pacis conciliatrix; inter Rudolphum & Bohemos parta cum fœdere tranquillitas.

Qui aliud Bello, quam justitiam & pacem quærit non bellum sed latrocinium gerit. Belli finis est pax.

Imitatus Rudolphum Carolus V. qui captum Galliæ Franciscum I. ad Papiam urbem, regno non tantum restituit, sed etiam, ut affinitate sibi devinciret, Sororem suam Leonoram illi conjugem dedit.

Et quoniam ad Carolum Stylus redijt, addamus hoc quoque. Cùm aliquando Rhenum traijciens quæreret ab Aulico Principe, cur majores nostri Arces & Castella in excelsis montibus exstruxissent, responderet autem ille, *munitiores illis Arces in editis locis visas fuisse*, sententiam suam dixit Cæsar. *Nimirum Rectius eas in plano loco constitui, atque idcircò, quod aquarum commoditas sit maior, commeatuum invehendorum, tormen-*

torum

...le Reo.

...onitum.

Iterum de Carolo V.

Ex varijs relationib.

torum & aggerum constituendorum facilior oportunitas. Sed nunc, addebat, *quidam sub terra munitiones ædificant, ut inferis sint propinquiores.*

CAPVT VI.

De recreationibus, venatione & artibus quibusdam.

1. FREDERICVS III. Imp.	7. FERDINANDVS I. Imp.
2. ALBERTVS IV. Dvx Aust.	8. MAXIMILIANVS II. Imp.
3. ALBERTVS II. Imp.	9. RVDOLPHVS II. Imp.
4. MAXIMILIANVS I. Imp.	10. MATTHIAS I. Imp.
5. CAROLVS V. Imp.	11. FERDINANDVS II. Imp.
6. PHILIPPVS I. Hisp. Rex.	12. ALBERTVS III. Dvx Aust.

CVm mortalium vita in remissionem ac studium sit divisa, Principis Austriaci otium & Reipublicæ curam ita miscuerunt, ut ex otio animorumque relaxatione nullum rebus gerendis impedimentum adferretur. Porrò cùm major sit post odia virtus, & ipsa quies, seu etiam animi relaxatio vires instillet, nemo reprehendet, si aliquando à rerum tractatione animum ad otium vel recreationem revocarit. Fuit illis otium labor, & in otio negotium invenerunt. Sic quiescere quandoque voluerunt, non tamen desidere, aut flaccescere. Propono eorum recreationes & diverticula.

I. FREDERICVS III. IMP. cùm otium aliquod Imperij res permitterent, rem metallicam tractabat, eâque vehementer delectabatur. Non indigna Cæsare ea tractatio fuit, quæ & oblectationem adferret, & usum ad Reipublicæ utilitatem referret. Idem magnam ex hortis voluptatem hauriebat, nec eos perambulando tantum, sed herbarum naturam perscrutando. Quâ in re ita profecit, ut suæ ætatis Medicos fruticum notitiâ, facilè superaret. Cum alij quidam Principes saltatione seu tripudijs recrearentur, dicere solebat, *Malle se febri torqueri, quàm operam dare saltationi.* Vnde in Italiam profectus cum Leonora Augusta, postquam ad agrum Florentinum pervenit, apud Sanctum Miniatum choream puellarum agrestium, quæ saltitando nudas tibias genuaque ostendebant, fortè reperit, mox verò ad Augustam, *Eamus*, inquit, *meretricum hic ludus est, non virginum.*

G. de Roo. Cuspin.

Monitum. *Hortum pro delicijs colere, arborum & plantarum naturam exquirere etiam imperatorium est.*

II. Fuit ALBERTVS IV. Dux Austriæ Architectus ingeniosissimus, & quotiescunq; otiū suppetebat, dolare, torno polire ligna, aliaq; id genus proprijs manibus facere, mirum in

modum

modum gestiebat. Hoc illi frequens exercitium, nec Principe indignum, cum & corpus hoc labore exerceret, & vacuas sibi horas nequaquam relinqueret. Naturam sequebatur, ad hoc ipse factus. *G. de Roo.*

Expedit honestis artibus otium potius occupare, quàm tempus otio perdere. *Monitum.*

III. Venationem, tanquam virilem exercitationem, amavit & exercuit semper ALBERTVS II. IMP. Quippe dicere solebat, *Se voluptate quavis alia carere posse, venatione non posse.* Habet illa quandam cum arte militari similitudinem, & est quoddam ejus rudimentum. *Cuspin.*

Æstum, frigus, famemque venando perferre, membra laboribus assuefacere, saltus pererrare, & locorum ingenia perdiscere, hoc est ad militiam rudimento sese componere. *Monitum.*

IV. Solo venationis exercitio MAXIMILIANVS I. Cæsar vehementer capiebatur, cui adeò deditus fuit, ut frigora & æstum juxta poneret. Nulla ei jucundior remissio videbatur, quàm lustrare saltus, cubilibus feras excutere, montium juga superare, & horrentibus scopulis gradum inferre. Venit semel in vitæ discrimen, de quo nos lib. 1. diximus, sed, credo, ut divina erga eum benignitas eluceret non sine miraculo. *Steph. Pyr. in Hercule prodicio.*

Seria

Monitum. *Seria Principum hominibus gubernandis negotia esse debent, ludicra belluis persequendis. Istis prosunt alijs, his sibi.*

V. Excelsus CAROLI V. Cæsaris animus non nisi excelsis delectabatur. Alta indoles alta quærit. In castris ipsis & medio belli ardore syderum doctrinâ recreabatur, & cœlestium revolutionem leges periodosque magna cum voluptate considerabat. Regiarum virtutum imaginibus admodum delectabatur, sed quæ â Sole, Luna, motibus syderum sumerentur. Inde certa quædam acroamata formabat. Aliqua subjungo.

1. *Quemadmodum Sol in cœli fastigio tardissimè movetur, & æquè inopi divitique lucet, ita Principes Austriacos ad Imperij fastigium evectos decet cunctanter agere, consilia non præcipitare, omnia circumspicere, justitiæ clementiæque lucem summis ac infimis pariter præbere.*

Zanocar. & Alij.

2. *Sicut Solis deliquia futuras portendunt Regnorum mutationes aut calamitates; ita Regum errores, etsi parvi, magnam in humanis rebus pariunt perturbationem.*

3. *Vt Luna vim suam in hoc elementari orbe efficacius exercet, quia terræ propinquior est; ita Regum præsentia vicinitasque cum in bellicis motibus, tum in togata Reipublicæ administratione momenti plurimum habet.*

4. *Sicut fulmen cerâ lanâque illæsâ, æs ferrum liquefacit; hic Re-*

hic Regum potentia supplicibus parcendo cedit, sternit autem rebelles.

Quemadmodum lumen in Luna mensibus singulis accreßit decrescitque, nec ver est semper aut æstas; ita Regum Consilia in hac perpetua rerum vicißitudine variari mutarique necesse est. 5.

Hæc Monita sunt heroica, nec aliud addo. Quàm pulchrum est, versari subinde in astris Principes, qui astrorum Rectoris in terra sunt vicarij;

Siquis unquam in venatione summam cœpit voluptatem, fuit PHILIPPVS I. Hispaniæ Rex, Belgarum Princeps, Maximiliani I. Cæsaris Filius, sed ista ei exitio voluptas fuit. Quippè cùm in Hispania semel maximos cervos venando prostravisset, ut erat calore fervens copiosiore potu sitim restrinxit, hocque modo lethaliter pulmonem affecit, & nimio jecur calore succendit. Secuta paulò post mors fuit. Ita rem se habere in cadaveris anatomia Medici compererunt. VI. *Ex eius vita.*

Sæpius mors, unde non putabas, accidit; & qui voluptati indulget, mortem non rarò sibi accersit. *Monitum.*

Fuit & amantissimus venationis FERDINANDVS I. IMP. verum ut in isto remissionis ejusmodi otio nec disciplinæ militaris, VII.

nec armorum oblivisceretur. Edixerat sub gravibus pœnis, & quidem sub oculorum jactura, nequis agrestium venando feras persequeretur. Deprehensus Agricola quidam fuit, & ad Cæsarem adductus, nec diffitebatur. Vnde pronunciatâ in illum sententiâ, ut secundum edictum oculis privaretur. Publico Ministro, ut exequeretur mandatum. Erat hic in procinctu, cùm Cæsar dimitti reum incolumem jubet. *Nolo*, inquit, *belluam ratione destitutam cum homine conferri. Et omninò indignum esset, hominem belluæ unius causâ, tam necessario vitæ instrumento privari.* Metum inijcere Imperator voluit, non hominem perdere.

In Com. Annalium Germanor.

Monitum. *Tanti facere Principes animorum suorum relaxationes non debent, ut hominum dignitatem cum bestijs facilè commutent.*

Idem curis publicis defatigatus, recreabat se contemplatione admirandæ harmoniæ in corporibus cælestibus. Proinde quotiescunque vacuum illi tempus erat, cum præstantissimis Mathematicis disserebat accuratè & eruditè.

VIII. MAXIMILIANVS II. IMP. & venatione, & astronomicis rebus libenter recreabatur. Quibusdam frequentius ad venationem evolantibus

lantibus dicere ſolebat, *Egregiam & Principe dignam exercitationem venationem eſſe. Minimum lædi homines, quando cum belluis negotium eſſet, dummodo ne ludicris ſeria elabantur, quæ nullâ opimâ ferarum cæde ſarciri poſſunt.* **Invita eius.**

Principum relaxationes modum habere debent, ut quæ tempora Reipublicæ negotijs deſtinata ſunt, nequaquam negligantur. **Monitum.**

Multa equidem aſtris tribuebat, tanquam cauſarum adjumentis. Cuidam autem Cypriano Bohemo nimiam crudelitatem exprobravit. Quæſivit ab eo, an ijs, qui apud Cannas inſigni clade ſimul concidiſſent, eundem exitum natale aſtrum comminatum fuiſſet? Item, an qui ingenio excellunt, rariorum vi ſyderum eadem die in lucem editi eſſent? ſi non, non eſſe fatalia aſtris adſcribenda.

Nemo RUDOLPHI II. Cæſaris animi remiſſiones jure reprehendat. Pictor erat, & Aurifaber ingenioſiſſimus. Teſtes ſunt tabulæ, quibus Apelles meliores vix dediſſet. Intuentibus ars quædam pluſquam humana & induſtria obijciebatur. Quid, quod auream coronam menſamque ex ſolis gemmis confecit? Induſtriæ hoc opus fuit & ingenij non vulgaris. Sed & horologiorum tantus Artifex exti- **IX.** *Ex Funeb. Orat.*

cit, ut singula libratis ponderibus temporis momenta propemodum repræsentarent. At vero machinarum ænearum ad Belli usum fusione ita vehementer oblectabatur, ut unam quotidie horam ijs inspiciendis tribueret.

Monitum. *Nullæ artes Principem dedecent in otio; quæ ingenio magis, quam manibus exercentur; quæ autem ad Bellum pertinent, Majestatem condecorant.*

X. Rudolphi Frater MATTHIAS I. IMP. si quid otij à publicis curis nancisceretur, ad torno polienda ligna se conferebat; in hoc otio & statuas & instrumenta Bellica accuratissimè formabat. Quis neget exercitio, quod natura ingenio addidit?

Germaniæ Scriptores Neoterici.

Monitum. *Innocens nec indecens occupatio est, quæ ingenium exercet non ad lucrum refertur.*

XI. Venationem & ancupium FERDINANDVS II. IMP. totâ vitâ amavit. Credo ut Carolum Patrem venationi deditissimum imitaretur, imò & alios majores suos. Quanquam & medici eam valetudini ejus conducere omninò censebant. Ipse verò cùm sciret venationem militaris artis tyrocinium esse, in eâ exercere se desideravit, ut par Bellicis laboribus, cum opus esset existeret. Cupiebat etiam Aulicos suos nonnunquam ab otio abducere, quod non

ignora-

ignoraret otium sæpe ad improba aditum esse. Nec ullum ipsi ex venatione commodum erat. Quippe prædam omnem, aut Legatis, aut Principibus viris, aut Religiosis familijs addicebat. Solam ipse animi remissionem spectabat. Et nè Reipub. inter oblectamenta deesset rusticorum causas in campis & sylvis audiebat, ac plerumque decidebat. Si quæ intelligeret damna à Feris illata, ea æstimabat, paratoque pretio farciebat. Musica quoque oblectabatur, sed in sacris potissimum ædibus. Item theatralibus scenis, sed quæ pudicitiæ non officerent, aut Martyrum laureas exhiberent. Nihil Ferdinando placere potuit, nisi quod sanctum. *G. Lamor.*

Oblectare se principes sine suo & aliorum damno debent. Damnum accersunt cupiditatis inhonestæ leocinia. *Monitum.*

XII. De ALBERTO III. Austriæ Duce, Alberti I. Imperatoris nepote hoc tantum dicam, studiosissimum eum Astronomiæ fuisse. Et verò eâ tantopere oblectabatur, ut vacuum omne tempus Astronomorum dissentationibus libenter daret, quas ut sæpius audiret, etiam mediâ nocte somnum abrumpebat.

Animus cælo natus cum in terris oblectationem non reperiat, in astris sese recreat. *Monitum.*

CAPVT VII.

De vestitus modestia

SCiverunt Principes Austriaci Regiam Cæsareamque Majestatem virtute, non corporis cultu, constare, idcircò captare laudes ex corpore nunquam voluerunt. Immodicus vestium luxus certissimum vanitatis est argumentum. Nec auri fulgor aut argenti, aut gemmarum Principem ostendit, sed alta mens, & terrenis rebus altior animus. Hunc animum in Austriacis Heroibus videamus.

1. Fuit is inprimis in Rvdolpho I. Imp. Hic cùm Ottocarum Bohemiæque Regem prælio à se victum, ut fidem sibi Cæsari juraret, evocavisset, venit ille, sed cùm magno & splendido comitatu. Nec tantum in eo viri auro, gemmis serico nitebant, verum & equi, quorum phaleris nihil pretiosius. Eminebat ac emicabat inter omnes ipse Rex, quem radians purpura, & gemmæ auro inclusæ tegebant. Id cùm Rudolpho significatum, moneretu rque etjam à Proce-

G. de Roo

à Proceribus ſuis, ut tam ſplendidum Regem excepturus ornatiore veſte cultuque Cæſareo uteretur, ſubridens ipſe, *Imo*, inquit, *Bohemiæ Rex griſeam veſtem meam ſæpè deriſit, at nunc ipſum veſtis mea griſea deridebit.*

Vos Proceres mei, arma & equos expedite, & accincti inſtructique, ut ad pugnam, ſtate. Advenis iſtis decus armorum Teutonicorum, non veſtium, oſtendite. Hoc me vobiſque dignum eſt. Ita dixit, nec aliter fecit. Militari in veſte eaque vili ſolium intra tentorium conſcendit, ad quem cùm Ottocarus acceſſiſſet & in gemma procubuiſſet, aurum ſuum iſti Cæſaris cultui primò ſubmiſit, tum jure jurando fidem ſuam obſtrinxit. Nec ſine ludibrio. Nam cùm petijſſet Ottocarus ut à nemine in hoc officio conſpiceretur, juſſit Imperator, ut tentorium, in quo res hæc gerebatur, ſubitò decidentibus Aulęis panderetur revelareturq; ut ab omnibus geniculans Rex conſpici omninò poſſet. Factum & induſtriè & velut caſu. Volebat Rudolphus Cæſarem, non veſtem, à rege iſto coli. Si cùm in exercitu ageret, integra quandoque veſtis in promptu non eſſet, laceratam reſarciri jubebat, & iterum induebat.

Debent Reges & Principes malle moribus & authoritate Monitum.

ritate tales videri, quàm purpurâ & diademate. Eorum quippe est, virtutem æstimare, vestium splendorem pro nihilo reputare.

Die quodam mane egressus & solus, cum esset frigidior aura, vidissetque in pistoris domo ignitos recentesque è fornace carbones, fidenter intravit, astitit, se calefecit. Prodit mulier, & eum intuita, nec aliunde, quàm ex vestitu, qui plebeius erat, æstimans, *Heus*, inquit, *parum te decet ad mulierculas & in alienam domum intrare.* Cui Rudolphus, *miles sum, mea mater, res meas in Cæsaris obsequio contrivi; ille tamen parum benignè me nunc habet, nec pro spe aut meritis muneratur.* At illud Cæsaris nomen mulier stomachari excandescereque cœpit, nec pauca in Rudolphum evomere, *Iste est vir*, inquit illa, *qui nos & nostra perdit, pauperum scopulus & exitium. Meritò ista vobis eveniunt, qui illi adhæretis & sequimini. Vt plura eveniant, etiam opto.* Recreavit ista mulieris procacia Rudolphum, qui mox, *Age mulier, ne pro me sollicita sis, imò de me missum fac; sed te, & qui conditionis sunt vestræ, quâ tandem re læsit?* Non se continuit mulier, *Illene?* ait, *qui omnes hujus Vrbis pistores, antea satis lautos, fortunis evertit? Actum videri de nobis potest. Sed tu supersede sermonibus istis, nec ultra aut molestiam, aut impedimentum adfer.* Plura parabat Rudolphus,

Lip. in Monitis. Polit.

phus, ſed illa vaſe aqua pleno in accerſas prunas injecto ſermonem abrupit. Vnde fumo, vapore, cinere perfuſus Rudolphus domo excedere cogitur.

Prudenter aliquando Principes plebeiâ in veste turbæ se immiſcent, aut ad privatos divertunt, ut de se hominum opiniones intelligant. Vbi audit Majeſtas liberæ non ſunt linguæ, nec voces. Monitum.

Non propterea tamen veſtem CAROLVS V. IMP. diſſimulavit. Apparere laneo in amictu non ſupra Plebeium modo ſolebat, etiam cùm Cæſarem, Regem, Principem variis in locis ſe oſtentaret. Vnde cùm Mediolanum Inſubrum Vrbem novus intraret Dux, non in veſte, ſed ſub umbella agnitus fuit. Geſtienti animo cives, ut illum exciperent, omnia inſtruxerant; plateas aulæis, tabulis, frondibus ornarant, ſeipſos veſtibus pretioſis & elegantibus; & erat aurea umbella parata, quæ ingredientem tegeret. Populus in ſpectaculum effuſus, oculos in novum Principem intendebat. Vbi ille advenit Imperator ipſe, tot Regnorum Rex; tot Provinciarum Princeps & Dominus, in lanea atra penula vilique pileoſo ſub umbellam ſe dedit. Videbant eum Cives, & requirebant, ac potiſſimum matro- II. G. Zenoc. Scrib. Heuter. Aliiq.

næ Virorumque vaniores, qui non Plebeiam istam vestem, sed trabeam & illusum auro amictum, fulgentesq; in capite & collo gemmas expectabat. Ita & ex veste voluit æstimari.

Monitum. *Splendorem in Principe populus exigere videtur, sed amat magis quò sibi similiorem videt, & solâ authoritate superiorem.*

Quid, quod idem Carolus vestiariam in Germania Belgioque legem tulit? Quippè usum sericæ vestis nobilibus tantum personis Magistratibusque, habitâ census & honorum ratione permisit? (Const. Imp. c. 11. & seq.)

Monitum. *Vestis sit honesta pro conditione, non supra conditionem. Ornato supra modum corpore sæpè domi sunt angustia; & qui omnia secum fert, non raro indiget.*

III. Quis in FERDINANDO II. Cæsare vestium splendorem aut luxum suspicetur, qui corpus cilicio frequentissimè castigabat? Et hoc quidem sæpius, quam purpuram induebat. Ne Majestatem obfuscaret, dignâ Cæsare in veste quandoque sese ostendebat, & festi inaugurationum vel solemnium pompa- (G. Lamor.) rum dies exigebant. Alias nihil ultra nobilitatis more in eo apparebat, sæpè aliquid infra. Improbabat luxus arrogantiam, & luxum exemplo coërcebat.

Ornare

Ornare animum malle, quàm corpus, Regium est; animus imperat, non corpus. Nec purpura Regem facit, sed excellens natura. Monitum.

Id sibi prorsus persuasit ALBERTVS II. IMP. Idem Bohemiæ & Hungariæ Rex. Vulgari veste utebatur, in qua nec splendorem admirareris nec pretium æstimares. Illam verò pretiosus omninò magnificusque Baltheus decorabat, ut vel hînc Cæsarem agnosceres, & illi semper in manu gladius, ut militem crederes. IV. Cuspian.

Sublimium maxima gloria est, quam maximè se submittere, nec tamen ordinis sui & status dignitatem deserere. Monitum.

Certavit in ALBERTO PIO Belgarum Principe Majestas cum modestia. Vultu ad Majestatem compositus erat, animo ad modestiam. Et idcircò vestis illi decora, non superba. Hoc modo quoque popularis fuit. Sed & fuit antiqui moris tenax, ideoque antiquo in cultu semper, sine arrogantia, sine vilitate. Malebat se intra prudentiæ limites modestum exhibere, quàm in auro suscipiendum. V. Ex Orat. funeb.

Vestium splendor ut delectat, ita terret; deforme autem est, ad summum Imperium terroris instrumentum adiungere. Monitum.

CAPVT VIII.

De litibus componendis & citò finiendis.

1. CAROLVS V. Imp.	4. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.
2. MAXIMILIANVS II. Imp.	5. RVDOLPHVS I. Imp.
3. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.	

SApientum omnium sententia est, per lites civilem statum labefactari, Reipub. potentiam diminui, odia & dissensiones inter cives excitari, omnia denique in extremas angustias adduci, ac tandem post civium ruinam Reipub. ipsius ruinam evenire. Hanc ob causam Principes Austriaci nihil utilius Regnis suis, & verò etiam universo terrarum orbi, accidere posse judicarunt, quàm si lites omnes vel tollerentur, vel componerentur, vel citissimè definirentur. Vt hoc aliquando contingeret, eorum aliqui omnem operam dederunt & suam authoritatem promiserunt. Hi sunt illi.

I. CAROLVS V. IMP. ille generosissimus, ad quem cùm plurimæ de litibus delatæ querelæ essent, magno affectu exclamavit, *O quam ille mihi gratus, & quam amplis à me ornandus beneficijs erit, qui lites citò terminandi modum inveniet!* Vt aliquis esset, & ut litium aut compendium, aut

Zenocarus Alijque.

aut exilium aliquando tandem constitueretur, omnem, quâ pollebat in Imperio & tot in Regnis, authoritatem libenter se adjuncturum promisit.

Principum non tantum est subditis suis justitiam administrare, sed etiam controversias omnes sublatâ litium diuturnitate componere. *Monitum*

In Ejus gloriæ Societatem venire MAXIMILIANVS II. Cæsar debet. Malebat hic, ut amicâ potius transactione, quam judicialis sententiæ asperitate litigantium contentiones deciderentur. Idcircò, si quos esse litigantes audiret, eos ad se venire jubebat monebatque ut de suo Iure utrimque aliquantulum cederent, ac partem ejus, quod in controversiam adducebatur, relinquere mallent, quàm longæ litis spatio sumptus multò graviores in causidicos impendere, sibi molestias, labores, & curas augere, odia familiarum, quæ postea ad Reipublicæ perniciem erumperent, inflammare, denique negotia alia sibi necessaria ac Reipublicæ salutaria impedire. Sic, cum adhuc in vivis frater esset, gravissimas inter Hassię Principem & Nassoviensem de Cattorum comitatu contentiones, diremit. Sic cùm Norimbergenses. Alberti Marchionis regionem occu- II. *Ex Histor. German.*

passent, & cum ijs Brandeburgica familia pro ejusdem restitutione judicio, contenderet, controversiam finivit. Plurimas verò alias singulari æquitate composuit. Vnum illi votum erat, prudentum Virorum arbitrio controversijs modum statui, non tribunalium sententiam expectari.

Monitum. *Nunquam ea Reipublicæ fœlicitas erit, ut nullæ sint lites aut controversiæ, sed summum existit Reipublicæ bonum cum exortæ quorundam arbitrio & sententia extinguntur.*

II. Imitatus Parentem CAROLVM V. IMP. PHILIPPUS II. Hispaniarum Rex non semel ad senatum Mediolanensem scripsit, nullum sibi gratius aut officium, aut obsequium præstari posse, quam si brevior expediendi lites modus reperiretur. Proposuit idem magna ijs præmia, qui invenirent & suggererent. Desiderabat ille potissimum, ut è Republicâ litium materia profligaretur, ideoque tales leges ferri optabat, quæ litis occasionem non præberent, sed exortas controversias confestim dirimerent. Verum in tanto Reip. malo remedium optari magis potuit, quàm inveniri.

Ex eius vita P. Heuter. aliisque.

Monitum. *Oportunum remedium esset, latâ lege sancire, ut omnes contro-*

controversiæ non prius ad tribunalia deferrentur, quàm virorum optimorum arbitrio submisse essent, & litigantium quorundam pertinacia compressa foret.

Nemo tanto desiderio, quanto ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps, concupivit, ut quovis modo nascentes in Republicâ lites suo in ortu retunderentur, vel natæ quamprimum opprimerentur. Ipse eas in Belgio perpetuo edicto succidit, & minuit, sed hominum quorundam inquietudo nullam admittit medicinam, & vivere plerique sine lite non possunt. Quasi ad alios vexandos nati sint aliqui, ita contensiones nullâ, aut minimâ de causa, suscitant, & verò etiam litium numero gloriantur. Pijssimus Princeps, quem potuit modum, adhibuit, etsi provincias suas litibus non omninò perpurgarit. Crescit hoc malum pace, bello nō desinit. IV. *Ex Diplomate eius, & Orat. Funeb.*

Cùm audisset immenso fænore plurimos obrui, & ab usurarijs bonis propemodum exui omnibus, fœnebri primum lege usuram moderatus est, deinde Bruxellæ, Antuerpiæ, Gandavi, alijsque pluribus in Oppidis instituto monte, ut vocant, pietatis, fœnerationes omnes ex tota ferè Republica sustulit, certè enervavit.

Qui

Monitum *Qui lites tollit, non minus publicæ quieti consulit, quam qui civilia Bella extinguit.*

Cùm expediat Principibus subditos habere locupletes providendum ijs est ne subditorum bona à fœneratoribus exhauriantur.

V. Omittere RVDOLPHVM I. IMP. non possum. Erat illi, cùm Comes Hasburgensis tantum esset, lis quædam & contentio cum Cœnobij Sangallensis Abbate, Viro id temporis potente. Hanc, ut amicâ compositione terminaret, cum sciret quâ horâ pransurus Abbas mensæ accumberet, accessit, & ultrò se non invitatum convivam exhibuit. Tenuit omnes hujus facti admiratio, nec tamen ingratus hospes fuit. Sublatis mensis secessit cum Abbate Rudolphus, aliquamdiuq; cum eo collocutus contentionem omnem pace facta in synceram amicitiam mutavit. Inde discedens cum animadverteret suos propter tantam facilitatem admirari, *Cui tres sunt*, inquit, *lites, meo judicio rectè fecerit, si duabus compositis, tertiam tanto diligentius prosequatur.* Inposterũ Abbas bonã adversus hostes operam Rudolpho præstitit.

Mat. Tym. in speculo.

Monitum. *Vulgò verè & ex vero dicitur, melior est macra concordia, quàm pinguis sententia. Redimit tempus & expensas qui componit.*

CAPVT

CAPVT IX.

De pietate erga Parentes, Fratres, Cognatos, Præceptores.

1. FREDERICVS III. Imp.
2. MAXIMILIANVS I. Imp.
3. CAROLVS V. Imp.
4. FERDINANDVS II. Imp.
5. LEOPOLDVS Archid. Aust.
6. PHILIPPVS II. Hisp. Rex.
7. ALBERTVS PIVS Bel. Prin.

VT sanguis unus, ita unus amor Principes Austriacos ligat. Hoc vinculũ Parentes & Filios, Fratres inter se & Cognatos & Affines constringit. Pietate consanguinitatem & cognationem testantur. Plures sunt, sed pietas amorq́; quasi unum facit, non diversos. Et quia Præceptores, velut alteros melioris vitæ Parentes habent, ijs, quod Parentibus debent, exhibent, juvant, promovent. Naturâ conjuncti sunt, non commodo. Rectè quispiam dixerit, unicum hominem hanc augustam familiam videri. Fidem exempla facient.

Nemo facilè æstimarit, quantâ pietate FREDERICVS III. IMP. Maximilianum Filium fuerit prosecutus. Paterna equidem fuit, sed planè admiranda. Vbi illum à Brugensibus captum, & in custodia non tantum detineri, sed in vitæ discrimine versari intellexit, cum nonnullis Imperij Principibus & triginta duorum millium exercitu in Flandriam movit. 1. *G. de Roo. Heuter. Alij plur.*

Gandavum obſedit, nec prius ab armis deſtitit, quàm Filium iniquè à Brugenſibus detentum libertati & ſibi reſtituit, inq; ipſos conſpirationis iſtius authores ſeverè animadvertit. Imperium amittere, quàm Filium, maluiſſet, imò vitam quam Filio dederat, ſua morte redimere paratus erat.

Monitum. *Quos genuiſſe delectat, pro his vitam exponere non piget. Hoc vero eſt bis genuiſſe.*

II. Eadem pietas viribus ſuis MAXIMILIANVM I. IMP. in Fredericum III. Parentem inflammavit. Nemo tenerius Patrem amavit, nemo promptius obtemperavit. Ab ejus vultu, quamdiu vixit, dependebat, & nutus, ne quid omitteret, obſervabat. Vbi ille cum Imperio vitam depoſuit, ſepulchrum, quod imperfectū relinquerat, ſummà curâ perfici curavit, nec pauciora in illud, quam triginta aureorum millia erogavit. Exſtare hoc pignus ſui in Parentem amoris voluit, ut non minus mortuum amaviſſe, quàm vivum videretur.

Iidem Scriptores.

Monitum. *Non minus parentum gloriam tueri poſt mortem Filij debent, quam eorum vitam votis & amore proſequi.*

III. Exceſſiſſe propemodum videri poteſt fraternam charitatem CAROLVS V. IMP. Erat illi unicus, ſed dilectiſſimus Frater Ferdinandus

dinandus I. postea etiam Romanorum Cæsar. Huic totam, quam adire poterat Maximiliani Avi hæreditatem reliquit. Nec hoc satis. Regem illum Romanorum ex Principum Electorum voluntate designavit, hoc est in Imperio successorem. Amplius ut Hungariæ Bohemiæque Regna consequeretur, non author tantum, sed adjutor etiam fuit. Vbi verò abdicare se Imperio Regnisq; omnibus voluit, obstupescendâ liberalitate Imperium eidem Fratri suo Ferdinando resignavit, Electores contulerunt. Nemo tantum unquam Fratri amorem testatus est. *Zenocarus Alijque.*

Eodem ex utero prodidisse, in ijsdem incunabilis infantiam peregisse, eosdem Parentes appellare, ijsdem majorum imaginibus gloriari, omnem benevolentiã sibi vendicat. *Menltim.*

Idem Carolus primæ ætatis suæ instructorem habuit, Adrianum Florentium ingenio, virtute, doctrinâ Virum planè eximium, sed quem ipse tanquam Parentem alterum obseruavit. Quantum autem illi deberet, singulari gratitudine ostendit. Infulâ Dertrudensis Episcopatus eum donavit. In Hispania summum Præfectum & Administratorem sibi substituit; tantum ejus fidei & prudentiæ confidebat. Vt deinde in purpuratorum Patrum *Matthæus Tympius in speculo.*

ſeu Cardinalium Collegium Romæ cooptaretur, egit; ac demum, ut ad ſummum in Eccleſia Pontificatum ſacri Collegij conſentientibus calculis eveheretur, ſuâ commendatione effecit. In cujus electione nemo non ſingularem divini Numinis providentiam obſervat.

Monitum. *Vt vivamus à Parentibus habemus, ut benè, ab instructoribus, illos primò reſpicit pietas, hos deinde.*

V. Aut nullibi, aut in pectore FERDINANDI II. IMP. ſedem pietas fixit. Nemo illo reverentior in Patrem, in matrem, in ſuos omnes. Et quidem ne in parentis Caroli Archiducis honorem peccare aliquomodo videretur, conſtitutum ab illo deliberandi modum accuratiſſimè ſemper ſervavit, nec ut quicquam in eo mutaret adduci à Senatoribus ſuis potuit. Quicquid ille extremę voluntatis tabulis mandarat, non exercutus tantum fuit, ſed ſuo quoque inſertum teſtamento voluit, & filijs hæredibuſque mandari. Documenta nimirum Romanæ Religionis conſervandæ, & Reipublicæ adminiſtrandæ. In Matrem charitate omnes ſuperavit, charitatem obſequijs oſtendit. Illam

G. Lamor. non aliter, quam *clementiſſimam Dominam Matrem* appellabat. Si ab ea compellaretur, flexo poplite

plite vocem ejus excipiebat. Nec hunc morem ulli poſtea honores, quos adijt, mutarunt, nec ætas adultior. Ei in rhedam aſcenſuræ brachium unum commodabat, ut inniteretur; deſcenſuram utroque ſuſtinebat. Imò deſiliebat ex equo ſemper, ut aut rhedam aperiret, aut quo vellet, ſuſtentando deduceret. Summum nefas exiſtimaſſet, non ilicò Matris nutui acquieſcere. Conjuges duas habuit, & tenerrimè amavit. Priori è vita ſublatę quotidie per Sacerdotum Sacrificia parentavit, quamdiu vixit. Superſtitem Eleonoram triplici, Hungariæ, Bohemiæ, Imperij coronâ exornavit, & cùm ſibi ex graviſſimo morbo Ratisbonæ decumbenti præſto ipſa ſemper fuiſſet, vitam ſe ei debere fatebatur. Nec gratius quicquam ipſi accidebat, quam eam à liberis ſuis ut Matrem coli. De amore in filios nihil attinet dicere; eorum accurata ſollicitaque ad omnem virtutem educatio paternæ charitatis argumentum fuit. Quanquam virtutem omnem non tam ab inſtructoribus diſcebant, quam ex parentis aſpectu hauriebant.

Magnum paterni affectus indicium eſt, pia ſollicitaque liberorum inſtitutio ad virtutem; gratiſſimum autem divino Numini eſt, parentes ſedulò obſervare. **Monitum.**

V. Fraternum amorem intueri si quis velit, inspiciat LEOPOLDVM ARCHIDVCEM Austriæ Frederici Pulchri Cæsaris Fratrem. Tantum enim ille amorem Fratris sui insitum animo habuit, ut nihil omiserit, quo ejus dignitatem tueretur, & salutem conservaret. Electus erat in Cæsarem Fredericus, sed & simul Ludovicus Bavarus. Cùm cedere alter alteri nollet, & biceps Aquila distraheretur, Leopoldus pro Fratre adversus Ludovicum aliquoties fortissimè pugnavit, ac semel etjam in fugam conjecit. Vbi verò adversante fortunâ captus Fredericus in Bavari potestatem venit, nullâ re deinceps ita affici animo potuit, ut vel minimum lætitiæ signum ostenderet. Quasi ad tristitiam perpetuo damnatus esset, ita, quamdiu vixit, pallorem vultu, animo mœrorem induit, nunquam lętus, nunquam serenus. Obversabatur semper oculis Fratris adversitas, & tristi recordatione mentem pulsabat. Omnia tentavit, ut libertati Fratrem restitueret; id ubi obtinuit, redire tamen cùm Bavaro in gratiam nunquam voluit, & illi, donec vitam retinuit, adversatus est.

G. de Roo. Aliique.

Monitum. *Verum Fraternæ charitatis vinculum rumpi nisi ipsa morte non potest. Constrinxit natura, & Impius est, qui dissoluit.*

In re-

In recessu virtutum omnium primam habuit PHILIPPVS II. Hispaniarum Rex erga Patrem Carolum pietatem. Illi in omnibus, etjam Rex factus, obtemperabat, & gloriosum sibi ducebat, ei subesse, qui alijs præerat, ducebat quippe majori laudi, quod filius tanti Cæsaris esset, quam quod aliorum populorum Rex. Ita suam semper voluntatem Parentis Imperio submisit, ut grande piaculum existimaret, in minimis etjam non obedivisse. Quicquid ille decrevit, pro oraculo habuit. Alteram pietatem Præceptori suo Ioanni Martino Silecioni reservavit, cui cùm se post parentem obligatum sciret, insigni gratudine obligationem dissoluit. Eum enim ad primam in Ecclesia Hispanica dignitatem extulit, ut qui Hispaniæ Regis animum bonis artibus instruxisset, primis in Hispania honoribus potiretur. Taceo beneficia alia & grati animi signa.

VI. *Gervera.* *P. Matthæ. Lib. 1.*

Dignus est vitâ, qui in Patrem est Pius; dignus gloriâ, qui in Præceptores est gratus. Vtrumq; qui præstat divorum & hominum benevolentiam meretur.

Monitum.

ALBERTI PII Belgarum Principis mentionem facere, est semper virtutem aliquam in lucem proferre. In illo certè pietas in utrumque parentem ita excelluit, ut cedere illi palmam

VII.

mam filij omnes debeant. Nunquam caput texit, ubi parentum alter esset, nunquam eos, nisi posito in terram genu, vel audijt aliquid jubentes, vel ipse allocutus est. Sub hac disciplina crevit, qui futurus erat Principum exemplar, & à prima teneraque ætate jecit obediendo magnitudinis suæ fundamenta. Quis amorem illum explicet, quo Isabellam conjugē suā complectebatur? Dubitare licet, an ejusmodi par conjugum viderit vetustas, nostra certè tempora non vident. Imò vero an ulla videbit ætas parem illi pietati pietatem, quam in ornando Ferdinando II. Cæsare patruele suo ostendit, nescio. Regna plura, plures Provincias jure hæreditario ad se spectantes in illum transtulit. Sed quia jam antè retulimus, supersedeo.

Ex Orat. Fun. diverſ.

Monitum. *Natura consanguinitate homines conjungit, pietas grato officio benevolentiaq; consanguineos inter se obligat.*

CAPVT

CAPVT X.

De morbis & morte.

VIrtutem ne in ipsa quidem morte Principes Austriaci deseruerunt. Fulsit illa in eorum vita, in morte eorundem resplenduit. Nec aliter ex hac vitæ statione migrarunt, quam in ea degerunt, piissimi, Christianissimi. Quos igitur vidimus cum tanta virtutis gloria viventes, in ipso virtutis sinu morientes consideremus.

FREDERICVS III. IMP. interrogatus I.
aliquando, quid homini optimum contingere in hac vita posset, *Bonus* inquit, *ex hac vita exitus.* Vnde cum fatalem sibi imminere horam sentiret, muniri Sacramentis Ecclesiæ omnibus voluit, ut vel sic Ecclesię filius obediret, nec à majorum institutis recederet. Addidit etiam vel idcircò libenter se mori, quod pacata universa esset Germania, & Principes in optata tranquillitate degerent. *G. de Roo.*

Magnum est Principibus in morte solatium, in pace decedere, & suis tranquillitatem relinquere. *Monitum.*

II. Etiam in morbo facetus MAXIMILIANVS I. Cæsar fuit, sed mortis nunquam oblitus. Gravis illum semel morbus lecto affixerat, nec sine mortis periculo morbus esse videbatur. Accersebantur undique Medici, ijq; peritissimi, rem magnam, si periculo Cæsarem eximerent, omnium opinione facturi. Vix aderant, ille meliusculè sese sentiens singulos seorsim introduci ad se mandat, & hac voce compellat, *Medice quot?* Quid sibi ea interrogatio vellet, mirabantur primò, velut muti & attoniti deinde silebant. Ingressus demum quidam cæteris experientiâ doctrinâq; clarior, cum rursum quæreret Imperator, *Medice quot? Tua pace dixerim*, inquit, *ô Cæsar, innumeros.* Liberâ ista confessione delectatus Maximilianus risit, & adjecit. *Ingenua ista confessio te Medicum Cæsareum fecit, sed tu porrò experimentis per mortes abstine, inventis ex fide utere.*

Theatrum vitæ humanæ.

Cùm Palatium ad Oenipontem ingenti sumptu construi mandasset, operis Præfectus leviores in eo errores visus est commisisse. Quos cùm animadvertisset Cæsar, adstanti sibi Nobili Viro in aurem dixit. *Parum hic fecit, quod me delectat; aliam mihi domum construam, quæ placebit.* Eodem die capulum funebrem omni necessaria

cessaria suppellectile instructum parari jussit, ac secum, quocunq; proficisceretur, arcæ inclusum deferri. Cùm autem Procerum varia esset de arcæ istius usu conjectura, ac nonnulli thesaurum in ea latere suspicarentur, subridens ac sibi conscius Cæsar, *Hanc arcam*, inquit, *in usum rei mihi inter omnes alias charissimæ, mecum defero.* Quotiescunq; in monumentum istud oculos conijciebat, (in illud autem ferè semper defixos habebat) hanc vocem audire sibi videbatur, *Cogita mori.* Ac tum ille ita secum. *Quid te, Maximiliane, dilatas & extendis? quid multa possidens plura appetis? tot Provinciæ, tot Regna te non capiunt, at iste te loculus capiet.* Quid, quod multò ante mortem tempore, non Cæsar, non Rex, sed Maximilianus tantum appellari voluit. Maximiliane verè maximus fuisti, id res à te gestæ dicunt, sed hæc potissimum circa mortẽ cura.

Cùm Principes omnes Vicarij sint Dei, & rationem illi reddere aliquando debeant, ut hoc possint imbuere cogitationes suas assiduâ mortis memoriâ debent, ut vitam actionesq́ suas melius instituant. Monitum.

Vbi diem sibi illuxisse ultimum, & instare mortem sensit, *Nihil*, inquit, *jam eorum omittamus, quæ divini Numinis gratiam parant, vitijs animum liberant, securum ad cœlos iter sternunt.* Mox peccata apud P. Heuter.

Sacerdotem expiavit, sacram Synaxim magna animi submissione sumpsit; sacro oleo inunctus fuit. Iussit etiam plurimis in locis rem divinā pro delictorum suorū expiatione fieri, ac tandē inter adstantes sibi sacerdotes virosque Religiosos, qui & solabantur & animum addebant, inter mortales esse desijt.

Monitum. *Mors Cæsares Regesque infimis æquat; qui autem benè vixerint rexerintque felicem mortem nanciscentur.*

III. Qui Imperium totq; regna tanta cum gloria rexerat CAROLVS V. nec tanquam Imperator, nec tanquam Rex mori voluit, sed tanquam homo, qui se hominem esse norat, ac penè tantum, si non infimis, certè par nobilibus.

P. Heuter. Abdicato Imperio, quod ex Principum *Electorum* voluntate FERDINANDO fratri reliquit; translatis in filium Philippum tot regnis & provincijs, in Hispaniam secessit, & in divi Iusti monasterio cum duodecim tantum famulis, ut Deo vacaret, & ad migrandum ex hac vita sese componeret, delituit. Hoc in loco primum edixit, ne Cæsar, ne Augustus, sed Carolus dumtaxat appellaretur. Cùm Regnis titulos etiam & nomina exuit, omnemque honorem contempsit. Id cùm intellexisset Franciscus Borgia, protinus ita exclamavit, *ô virum*

magnum

magnum, qui cùm de hostibus toties triumpharit, seipsum tandem vincit. Sed & illum invisit, triduoq; apud eum moratus cum abitum pararet, ducentos illi aureos dono Carolus dedit, adjecitque, *Exiguum id munus est, fateor, sed memineris me tot Regnis tantisq; bonis exutum privatam agere personam, cujus si statum consideres, nunquam majus à me beneficium accepisse te cognosces.* Ribadinera in vita Borgiæ.

Vixit in ista solitudine biennio nondum integro, quo tempore dies pænè totos noctesque fundendis ad Deum precibus insumebat, sæpiusq; *Mundo se jam, imò & Deo in hac mortali vita inutilem deinceps esse, dicebat.* Cumq; sacra Synaxi ferè quotidie reficeretur, tum postquam imminente morte sacræ unctionis Sacramentum suscepit, iterum sibi Sacrosanctum Christi Corpus dari vehementer expetijt, recepitq; & ultimam propemodum vocem in hæc verba composuit, *In me manes, ô Christe, & ego in te maneam.* Surius anno 1558.

In Christo mori vivere est.

Monitum.

Quinque ante obitum annis inter maxima Regnorum negotia Sarcophagum exstrui sibi quoq; Maximilianũ Avum imitatus, curavit, in quo ea omnis supellex, quæ ad illum sepeliendum necessaria, asservabatur. Hunc apud se paucissimis conscijs, ne ostentationi vel P. Gregorius Tholosan lib. 6. de Rep. ex Orat. funeb. Suevica.

ſimulatæ fortaſſe Religioni tribueretur, atque etiam cum Mediolanum adverſus Gallos proficiſceretur, ſemper habuit. Non poterat, tamen ea res unumquemq; latere; unde fiebat, ut illi, quibus rerum maximarum cura demandata erat, ac frequenter cum Cæſare agebant, exiſtimarent ſecretum theſaurum aliquem, aut veterum Hiſtoriarum libros, aut rem ingentis pretij aliquam cum Cæſare deferri. Sed ipſe, non aliter, quam Maximilianus, rem ſibi omnium chariſſimam ibi latere ſubridendo jactitabat.

Monitum. *Inter arma, in triumpho, in ipſo Majeſtatis faſtigio meminiſſe Reges Cæſareſq; debent, homines ſe eſſe, & tanquam homines morituros.*

IV. Quaſi eſſet Auſtriacorum Principum ſolâ virtute niti FERDINANDVS I. IMP. titulos quoque auguſtos & honorificas compellationes contempſit. *Nihil ſe cæteris apud Deum præſtare aſſerebat; mortem æquales omnes reddere, judicium de conditione mortali futurum, nec alium ſe eſſe, quam mortalem, omnibus alijs naturæ conditione parem.* Cùm inſtaret ſupremus illi dies, & ultimam adſtantes Principes horam expectarent. Non, inquit, *ante diem Iacobo Apoſtolo Sacrum fatis concedam. Ita decrevit Celeſte Numen, ut quemadmodum ille peregrinus apud nos in*

Theatrum vitæ humanæ aliique.

Hiſpania

Hispania fuit, ita ego in Germania peregriner: Præsaga mens suæ mortis diem prævidit: obijt ipso, quem prædixerat, die, Iulij vigesimo quinto. Id unum optavit in morte, ut Ecclesiam tranquillam pacatamque relinquere posset.

Cùm corpore solveretur magis de Ecclesiæ tranquillitate, quam de sua morte, angebatur. Id vero Catholici Principis est. **Monitum.**

Sanctissimæ mortis tuæ, ALBERTE II. IMP. oblivisci nunquam posteritas poterit. Rex eras Hungariæ & Bohemiæ, & insuper Imperij fascibus ornabaris. Cùm vero ex Hungaria Viennam æger redires, omnibus te libenter Regnis & Imperio abdicasti, ut securus morereris. Nam cùm ad vicum Nesmelium pervenisses, & vis morbi propinquam mortem indicaret, quamprimum voluntatem ultimam scripto mandari jussisti, ac denique, ut Christianis Sacris Catholico ritu munireris unica cura fuit. Obtemperarunt Proceres tui supremo mandato, sed tua ultima vox omnium lachrymas concivit. Hæc fuit cùm expirares. *Omnipotens æterne Deus, ignosce ijs, qui meæ causa mortis existunt, ego ijs ex animo, sed propter te, ignosco, Te vero ut mei miserearis, oro, obtesterque.* Vix dixeras, animam cum voce emisisti sexto Calend. Novembris anno **V.** *G. de Roo. Cuspin. Aliique.*

bris anno supra millesimum quadringentesimum trigesimo nono.

Monitum. *Non possunt non pijssimè mori, qui, ut sibi Deus ignoscat, ex animo suæ mortis authoribus ignoscunt.*

VI. Non potuit non pijssime mori FERDINANDVS II. IMP. cujus Imperium non aliud, quam pietatis Imperium fuit. Duo vehementer optabat, priusquam è vivis excederet. Vnum, ut Religionem Catholicam in antiquam possessionem ac jura reduceret: alterum ut pacem tranquillitatemque sopitis bellis Germaniæ relinqueret, in utroque multum profecit, neutrius tamen ex animi sententia compos fuit. Idcirco tertium votum adjecit, ut filius Ferdinandus III. Imperij habenas post obitum suum acciperet, ultimamque manum paterno operi adferret. Hujus voti compos factus quasi supremum à divinâ Majestate beneficium accepisset, Imperium vitamque deponere paratus fuit. Et omninò ita evenit. Nam Ratisbonæ finitis Comitijs postquam filium Imperiali diademate coronatum vidit, morbo correptus deferri se Viennam curavit. Cùmque supremum imminere sibi tempus decimo quinto Februarij die, anno hujus sæculi trigesimo septimo præsentiret, mentem ab omnibus re-

Ex Orat. Funeb.

bus re-

bus rebus alijs ſubduxit, Deoque ac conſcientiæ, quod reliquum tempus erat, impendit. Ne quis de animo ejus vitaque dubitaret, cingentibus lectum Aulicis, *Ego*, inquit, *& Puer, & Adoleſcens, & Vir factus Celeſte Numen ſemper timui, colui, me, meos, meaque omnia divinæ ejus voluntati integrè commiſi. Hic animus, ut in vita, ita in morte permanet.* Mox Sacroſancta Synaxi poſt expiatas animi labes, extremâque unctione munitus, Deum, Deiparamque Virginem, Cuſtodem Angelum, Divum Ignatium, omneſque Cœlites in ultimo hoc agone ad auxilium ſibi ferendum evocat. Madebant omnium oculi lachrymis & pectora ſuſpirijs perſonabant, ſed ipſe ceream dextrâ candelam tenens, jamque Deum animo complectens, totâ mente erectus, tranquillâ prorſus conſcientiâ, nullo aut motu, aut convulſione corporis ex hac vita migravit.

Ars benè moriendi benè vivere eſt, nec timet, qui partes ſibi impoſitas ritè explevit. Monitum.

VII. PHILIPPVS II. Hiſpaniarum Monarcha, ultimo vitæ biennio erigere ſeſe in pedes vix potuit; diebus quinquaginta tribus ante obitum nullum non cruciatum eſt expertus. Quipè articulari morbo, manuum pedumq; ulceribus, apoſtemate, febri tertianâ, febri conti-

nuâ, hydrope, disenteriâ vexatus. Et quidem tot inter cruciatus, non movere se poterat, & vix quietem brevissimo etiam somno capere. Insomnis ferè semper & vigil; sed omnium tamen victor nec voce ullâ, nec signo ullo dolorem testatus est. Plus potuit ejus patientia, quàm vis tot morborum. Et quemadmodum in vita adversus hostes steterat invictus, ita in morte inusitatâ patientiâ vicit non ferendos dolores. Sex ante mortem hebdomadibus, qui illi à Confessionibus erat, cum Medici non auderent, quo in periculo versaretur, Regem admonuit. Egit Rex gratias, & hilari serenoque vultu, ut totius vitæ labes unâ confessione expiaret, desideravit. Fecit id quoque, nec quicquam eorum omittere voluit, quæ certius ad salutem ducerent. Quin imo quoties illum idem à sacris confessionibus Rligiosus invisebat, toties iterum conscientiam discutiebat, etiam unâ alterâve ante obitum horâ. Divinæ voluntati suam semper submisit, pati paratus aut mori. Camillum Cajetanum Sedis Apostolicæ Legatum jussit advocari, ut sibi quicquid ad salutem summus Pontifex posset, indulgeret. Indulsit ille, & ratum Pontifex habuit, etiam ante Philippi mortem. Calendis

Cervera de excessu Ph.

 Septem-

Septembris animo denuò purgato unctionis extremæ Sacramentum ministrante Archiepiscopo Toletano pietate incredibili suscepit. Et quoniam cæremoniarum ejusmodi ignarus erat, quod nullum hactenus inungi vidisset, instrui prius voluit, ac filium quoque præsentem esse, ne simili ignorantiâ inposterum teneretur. Inunctus jam Rex læto animo protestatus est, nunquam se totâ vitâ tantam lætitiam persensisse, ac deinceps facilè quievit. Adfuit paulo post cùm fratre Principe Serenissima Infans Isabella, ut ultimò benè ijs parens apprecaretur. Apprecatus est Rex, & ad filium primo conversus, *Da operam fili*, inquit, *ita vivas regasque, ut cùm ad hanc ultimam vitæ horam perveneris, tutâ securaque conscientiâ mortalem hanc vitam relinquere possis.* Multa deinde circa Regnorum administrationem prolocutus, eadem ipsi suâ manu perscripta tradidit. Adjecit quoque saluberrima præcepta, quæ Francorum Rex Divus Ludovicus Filio Philippo moriens reliquit, ut ad eorum normam & vitam & Imperij sui administrationem componeret. Tum filiam infantem alloquens, *Desideraveram*, ait, *ô filia, priusquam è vivis excederem, te destinato tibi marito conjunctam videre, sed non ita visum divinæ Majestati. Rogo*

interim ita porrò te geras, sicut hactenus, Religionemque Catholicam in ijs, quas tibi relinquo, provincijs conserves augeasque. Hæc enim mens mea fuit, cum eas in te transtuli. Vbi primum maritum videris Albertum, eundem, ut idem velit faciatque meo nomine obtestare. Postremò feretrum, in quo recondi corpus suum volebat, in conspectu suo collocari, eique Regiam coronam ac sceptrum superimponi jussit. Admonens demum filium filiamque, *Reputate,* inquit, *apud animos vestros rerum humanarum instabilitatem, & dum hoc afflictissimum cernitis corpus meum, cogitate quam tenui filo pendeat pompa, & splendor magnitudinis terrenæ.*

Illuxit tandem ultima vitæ hora, quâ Rex læto ridentique vultu, ceream è Monteferrato candelam manu unâ tenens, alterâ Christi cruci affixi effigiem, *Morior*, inquit, *Catholicus, & in fide, & in obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Hàc ultimâ voce pietatem suam testatus XIII. Septembris anno CIↃ.IↃ. LXXXXVIII è vivis excessit.

Monitum. *Fœlix qui pati hic aliquid potest, ne post hanc vitam patiatur. Animus in morte tranquillus obtinendæ felicitatis æternæ est argumentum.*

VIII. LADISLAVS AVSTRIACVS Hungariæ & Bohemiæ Rex, eo tempore, quò ejus nuptiæ cum Magdalena Francica parabantur, Pragæ vive-

vivere desijt. Vocati ad eas erant Fredericus III. Imperator, Casimirus Poloniæ Rex, Princeps Bavariæ, Saxoniæ, Brandeburgi, Rheni, aliarumq; Provinciarum. Vix morbo, qui subitus fuit, correptus erat, statim apud primæ admissionis familiares ex eo morbo præsentem sibi mortem imminere confessus est. Ne tamen ea fama antè tempus in vulgus spargeretur, cœnâ de more sumptâ stomachum sibi dumtaxat dolere affirmavit, seseque ad quietem composuit. Mox ingravescente morbo doloreque vehementi excitatus, ne cuipiam molestus esset, solitum surgendi tempus expectavit. Accersuntur demum Medici primo diei crepusculo, discurritur, trepidatur, nihil proficitur. Vis enim morbi omnem industriam superabat. Quare Rex post aliquam de regnis curam, sacerdotibus intromissis in animæ suæ salutem totus incubuit, ac post expiatam exomologesi conscientiam Pragensi Ecclesiæ sua ornamenta legavit, crines, quos auri fulgẽtis instar habebat, rescindi jussit. Tum ultimis sacris perfunctus ceream manu candelam apprehendens, & intentis in affixum cruci Christum oculis, traditam ab eo precandi formulam ad hæc usque verba pronunciavit. *Sed libera nos à malo.* Nihil amplius de-

Bonfinius Avent. Alij.

inde locutus, quieſcenti ſimilis hora, poſtquam ægrotare cœperat, trigeſimâ ſextâ conditori ſuo animam reddidit. Cruditatem ſtomachi mortem attuliſſe quidam crediderunt, alij peſte obijſſe. Non defuit veneni ſuſpicio, ſed negant Bohemi.

Monitum. *Sic qui thalamum nuptialem ſubire putarit, in ſepulchrum deſcendunt. Etiam inter delicias mors obrepit, ubique timenda, omnibus horis expectanda.*

IX. Pænè mortuus ante mortem fuit ALBERTVS PIVS Belgarum Princeps: quippe ultimis vitæ annis tot inter cruciatus vix vitam retinebat, & donec vix una aut altera ſanguinis gutta ſupereſſet, retinuit. Nec tamen tam habere corpus, quàm cõtractorum membrorum globum quendam videbatur. Mens interim integra, conſtantia inconcuſſa, patientia invicta. Cùm omnes ad vota decurrerent, ut longiorem illi vitam divina Majeſtas concederet, ſolus ipſe dicebat, *Quod ſi voto uno protendere vitam poſſem, nollem tamen, ne adverſari divinæ voluntati velle viderer.* Pridiè antè fatalem diem cùm Medici denuntiaſſent Principem vix ad alterum diem victurum, *Ne perdamus ergo*, inquit, *tempus.* Muniri mox Eccleſię Catholicę Sacramẽtis voluit, & conſcientiæ mortique imminenti vacare. De Belgij ad-

Ex Orat. Fun. varijs.

miniſtratione

miſtratione jam antè cum Iſabella coniuge, ac cum Philippo Rege per litteras conſtituerat. Obijt tandem altero die, III. Idus Iulij, qui viuere diutius nolebat; nec potuit non pijſſimè obijſſe, cui *Pij* cognomẽ omnes ordines poſt mortem detulerunt.

Pietas vitæ ſecuritatem parit in morte; nec poteſt non eſſe felix poſt mortem, qui in ſtatione vitæ remanere, vocante Deo, non cupit. *Monitum.*

Finio in te, RVDOLPHE I. IMP. ut cùm tuas tuorumque Poſterorum, Cæſarum, Regum, Principum virtutes hactenùs deſcripſerim, eaſdem tuo fato concludam. Quæ tuum corpus febris ultimis vitæ annis ſæpenumero vexarat, facta tandem lethalis fuit, nec difficilè confecta Senio membra in fatalem lectum dejecit. Senſiſti vim fati imminentis, moxq; cum Religioſo Viro, qui tibi à Confeſſionibus ſacris erat, aſſiduuſq; itinerum omnium Comes, de conſcientia tua diſpoſuiſti & illud Sacroſanctum Corporis Chriſti pignus, cujus cultus tibi omen Imperij fuerat, ſuſcepiſti. Mox quod omnium admirationem concitavit, Spiram proficiſci voluiſti. Et quidem, *tibi properandum eſſe* dicebas, *ut Reges illic invenires.* Verum in itinere ipſo non procul à Spira in Oppido Germersheim Catholico X. *Cuſpian. Alijque.*

lico

lico ritu Sacramentis omnibus munitus ex hac vita excessisti. Nec vanus tamen vates extitisti. Nam Reges convenisti, Spiræ apud Reges alios sepultus, tuæ ætatis anno LXXIII. Christi CIↃ. CC. XCI. Imperij XVIII. Ita non Imperator tantum gloriosissimus, sed tuæ mortis vates obijsti. Vive jam æternum tuâ Augustâ posteritate sobolĕq; celebris, cui hoc tempore Catholica innititur Ecclesia Christiq; Religio, & quam solam Dei Ecclesiæq; hostes reformidant. Non est illa sanè invidia, sed vincit virtutis gloria invidiam, & vincet, quamdiu pia. Voveo, & calamum tollo.

Maxitum. *Vivere gloriosissimè, mori pijssimè, Austriacorum Principum est.*

FINIS.

ERRATA.

Pag. 20. v. 24. pro Isabella, lege Anna. p. 85. v. 4. pro Principibus, lege Principatus. p. 221. v. 12. in gemma, lege in genua. p. 222. v. 13. At pro Ad. Cætera Lector, corriget.

